







[Faint, illegible handwritten text on aged paper]



1687.

1. Beckmann, Joh. Valk: De lege III (Aede) C. de
locat et conduct.
- 2^o Lynckerus, Nic. Christophorus: De religione absque
2 Suppl. 1682 = 7735.
3. Müllerus, Petrus: De personae excellentia
4. Müllerus, Petrus: De conquiscente officio
judicis.
- 5^o Müllerus, Petrus: De liquidis ejusque jure.
2 Suppl. 1683 = 7721.
- 6^o Müllerus, Petrus: De dignitate effigiata.
7. Müllerus, Petrus: De rationibus in folle.
8. Müllerus, Petrus: De acquirenda vel omnifonda
hereditate
- 9^o Müllerus, Petrus: De re non amplius integra.
10. Müllerus, Petrus: De contractibus consensuatis.

1682.

11. Mullerus, Petrus: De officiis transeuntium cum exercitiis per aliorum territoria.
12. Mullerus, Fr. Jac.: De imperio dictatoris.
13. Mullerus, Petrus: De fide vicaria.
- 14^a = Mullerus, Petrus: De nimio 2 Junij. 1682
i. 1738.
15. Mullerus, Petrus: De modis, quibus tollitur obligatio
16. Roth, Henricus Baethas: De characteribus.
17. Roth, Henr. Baethas: De commerciis institutorum.
Rec. 1741.
18. Stevoghtius, Philippus: Miscellanea juris civilis
19. Stevoghtius, Philippus: Ad legem singularem C.
Fest. et nullus ex vicariis pro alienis vicariorum
debitis tenentur.
20. Stumpe, Georgius Adamus: De jure precum, quoad
finem, effectum et varios ritus

1682.

21^a, b, c, d Sturck, Georgias Adamus: De jure ovium.
4 Exempl. 1686, 1714, 1742 & 1756.



7505.
DISPVATIO IVRIDICO - PRACTICA,
DE

NIMIO,

Von dem

19
1682/14
Was wider die Rechte, in allerley Fällen,
zuviel geschieht / und wie sothane Ubertretungen
zu bestraffen.

QVAM

PRAESIDE

DN. PETRO MÜLLERO,
ICTO,

CONSILIARIO SAXONICO, PROFESSORE
PANDECTARVM PVBLICO, CVRIAE PROVINCIALIS,
SCABINATVS AG FACVL-
TATIS IVRIDICAE AS-
SESSORE,

PVBLICAE VENTILATIONI

AD D. IV. OCTOBR. CIO IO CLXXXII, EXPONIT

AVTOR

GODOFREDVS WITTICHIVS,
LYGIO-SILESIVS.



IENAE,

REC. LITTERIS IO. BERNH. HELLERI,
CIO IO CC XXXVIII.

DEPARTMENT OF PRACTICE

H.F.

WIMBO

DEPARTMENT OF PRACTICE
H.F.

DEPARTMENT OF PRACTICE
H.F.

DEPARTMENT OF PRACTICE
H.F.

DEPARTMENT OF PRACTICE
H.F.

DEPARTMENT OF PRACTICE
H.F.

DEPARTMENT OF PRACTICE
H.F.





I. N. D. N. J. C.

Herculem Veteres in bivio constituebant, quando ejuratis voluptatum, vitiiorumque servitiis totum se virtuti mancipabat. Quid ingeniosa antiquitas sub involucro hoc latere voluerit, ex Sapientum scholis luce clarius patescit. Virtus scilicet integra splendorem & decus perdit, si ad alterutrum latus inclinaverit, & necesse habet regia, i. e. media via incedat. Mediocritas enim anima virtutis. Hinc vitium ideo est vitium, quoniam à mediocritate abit, docente Aristot. 2. *Ethic. c. 6. text. 41.* Et quanquam quadam actiones, animique perturbationes per se, & sua natura malæ sint, neque demum immoderatione aut deficientia in vitiosas degenerent, medium tamen, uti vocant, rationis in iis locum habere non potest. Quod exemplis ulterius deducit Horn. in *philos. moral. lib. 3. c. 1. tb. 17.* Quisquis igitur medietatem circa actiones ex libera voluntatis nostræ electione profluentes non observat, vel parum officii sui memor delitescit, vel nimio calore proeectus injuste agit eleganter Poëta :

*Damnosa res, si nimius est homini pudor.
Etiam pietatis invenias nimie reos.
Nec quid nimis facias, nec quid facias minus.
Nemo minus sapit, nimis quam qui sapit.
Nimia est miseria, pulcrum esse hominem nimis.*

A 2

Nimium

Nimum magis quemcunque offendit quam parum.

Nimio fit ipso injustus, justus qui est nimis.

Plus quam nimium est privatis, quod Regi est satis.

Quod non potest, vult posse, qui nimium potest.

Rex omne vitet, ceu scopulum, quod est nimis.

Supra modum quisquis sapit, bis desipit.

Ubique vitio vertitur, quidquid nimis.

Vebemens in utramque partem Mendeme es nimis.

Quoniam vero sanctissimi Legislatores hinc inde non solum quietos præmiis exhortari, verum etiam nimios & intempestivos animorum motus interdicitis, quin imo & pœnis sufflaminare allaborant, de NIMIO ejusque coercitione colligere quædam institui. Novi quidem ingenii mei tenuitatem, & me diffusæ huic materiæ elaborandæ imparæ lubens confiteor; Spero tamen, me cepti veniam facile consecuturum, cum laborem hunc non ostentationis, sed exercitii saltem gratia susceperim, & in laude dignis etiam conatus sufficiat. Nihil igitur magis à cordato Lectore peto atque efflagito, quam ut favore suo primitias hæc academicas amplectatur, animumque ad majora & maturiora reddat alacriorem.

CAPVT I.

DE

Nimio in Genere.

SUMMARI A.

- I. Etymologia. II. Synonymia. III. Definitio. IV. & V. Definitio ejusque explicatio. VI. Ulterior declaratio per exempla audacia. VII. Luxus. VIII. Elationis & ambitus. IX. Nimia amicitia, ubi de morte vicaria. X. Specialis Nimii applicatio. TH.

DE Nimio dissertationem habiturus circa initium de
voci explicatione quædam præmittam. Cum
enim illos, qui juri operam daturi sunt, secundum
Ulpian. prius nosse deceat, unde nomen juris descendat.
l. i. pr. ff. de just. & jur. certe etiam in aliis rebus etymolo-
gia præpositæ dictionis vim aperit, & non mediocriter il-
lustrat *per l. 2. §. appellata ff. si cert. pet. l. i. ff. de acquir. vel ã-
mitt. poss.* Dicitur vero *Nimium*, quod modum excedit,
& adjungitur vel aliis orationum partibus, vel solum sub-
sistit, sensumque in oratione complet, quæ posterior si-
gnificatio etiam hujus est loci. Vitium plerumque, quod
nimium est, involvit, & correctionem meretur, secun-
dum vulgare illud: *Omne nimium vertitur in vitium.* Et
ipse Medicorum Primpilus Hippocrates *lib. ii. Aphorism.*
statuit: *Omne nimium naturæ esse inimicum.* Et sic si-
gnificat excessum & superantiam ab eo, quod est nimis:
quamvis non nunquam amplitudinem rei quoque signifi-
cet, & idem sit quod valde, ut: *O nimium dilecte Deo.*
B. Richt. *tract. de signif. adverb. voc. nimis.*

TH. II. Dicitur alias excessus, immodicum, ni-
mietas, apud Columel. *l. 4. c. 24.* Plin. *l. 14. c. 6.* Apulej.
lib. 9. & alios, quos videre est apud Lexicographos.

TH. III. Misso nomine ad rem ipsam me accingo.
Nimiumque sic definitio: *quod sit qualitas inbarens actioni-
bus humanis à mediocritate aberrans, & in excessu peccans.*

TH. IV. Excusabit me, si forte minus accurata
videatur definitio, plerumque definitiones in jure nostro
esse periculosas, & contentos esse JCTos, dedisse vel acce-
pisse qualemcunque rei descriptionem. Dixi autem Ni-

mium esse qualitatem, quæ scilicet subjectum, cui inhaeret, ita qualificat, ut diversam à natura sua formam induat. Inherentem actionibus humanis: intellige morales & civiles, non naturales. Sentiunt quippe etiam bruta, quid agant naturaliter, an vero deficiant vel excedant in actionibus suis, non capiunt. Instigantur impetu naturali, ratione non ducuntur, vid. prolix. Ludov. Malquit. *tract. de vera & fictorum philosoph. lib. 1. c. 23.*

TH. V. Dixi ulterius: Nimum esse qualitatem à mediocritate aberrantem, & in excessu peccantem: illud quidem ideo, quoniam centrum virtutis est mediocritas, vitium vero medietatem, non nisi in immodicis sectari potest. Vid. laudat. Horn. *loc. cit.* hoc ea propter additum, ut, vitiosa qualitatis differentia notetur. Licet enim omnis actus malus, quatenus est malus, per se defectum aliquem includat, juxta Horn. *lib. 3. c. 3. tb. 7.* generosius tamen, uti quidam loqui amant, in excessu peccantes delinquunt.

TH. VI. Quantum errent omnes illi, qui Nimum sectantur, exemplis aliquot declarabo. Propria Virorum virtus, fortitudinem volo, quam turpiter degenerat, ubi nimia & intempestiva ejus est ostentatio. Fortem decet confidenti esse & intrepido animo; terræ autem motus, inundationes aquarum, fulmina, ruinas, demonum illusiones & similia, cum supra virtutem & constantiam hominis posita sint, quilibet recte metuit, & audaciæ maculam sibi inurit, quisquis nimum virtuti suæ fidens ejusmodi periculis corpus suum objicit, quæ humana vi repelli & vinci non possunt. Quis vitio non vertat summo belli Duci, qui capitis instar indomitæ militum turbæ imperat, si sine urgente necessitate ex nimum pugnandi

gnandi ardore una cum gregariis fortuna se committit.
vid. Liv. lib. 22.

TH. VII. Admiramur magnum illum mundi do-
mitorem, qui gloriari solebat, à nullo se beneficii vi-
ctum esse, testante Seneca lib. 5. de benefic. c. 6. immodica
vero C. Caligula profusio, qui omne illud, quod mori-
ens in thesauris reliquerat Tiberius, vicies nempe septies
millies H. S. i. e. computante Lipsio, ultra sexaginta sex
milliones, & quinquaginta millia Philippicorum, non
toto vertente anno absumsit, meritissime improbatur à
Sveton. in ejus vita c. 37. jactantia enim & effusio, & quid-
vis potius quam liberalitas existimanda est beneficentia,
cui ratio non constat. Plin. in panegy. Trajan. n. 38. Sub-
jecit Deus pedibus nostris volatilia coeli, & pisces maris,
ut iisdem pro sustentando corpore utamur. Quod si ab-
utamur hac concessione, nimiumque gula serviamus, ex-
pugnantur animi pariter ac corporis vires. Hinc recte
Seneca epist. 116. ait: *Curam nobis nostri natura mandavit,
sed huic ubi nimium indulseris, vitium est.*

TH. IIX. Expilata à Gallis Urbe Roma, virtute sua
Capitolium Manlius conservat. Idem tamen, dum ni-
mios spiritus alit, libertatemque ante defensionem opprime-
re conatur, unde Senones depulerat, inde ipse præcipita-
tur, referente Val. Max. l. 6. c. 3.

TH. IX. Amicitia, quamvis tantum pene venera-
tionis, quantum Deorum immortalium ceremoniis ex
judicio laud. Val. l. 4. c. 7. in externis debeatur, adscribi
tamen potest: *Ne quid nimis.* Laudatur loc. cit. fidelis
Damonis & Pythia amicitia, qua etiam alter in alterius
gratiam caput suum mortis periculo exponere non dubi-
tavit, certus enim uterque erat de amici sui constantia.

At

At verò illi, qui alterius liberandi causa ex nimio amore vicariam mortem appetunt, omnino excedunt, sibi que ipsis injuriam faciunt. Quamquam nonnulli ex arctissima sanguinis conjunctione statuere velint: posse & debere filium vicaria morte salvare patrem; cum debitum liberorum officium sit, ut se in gravissimo mortis periculo pro parentibus offerant. Dominic. à Soto *lib. 5. de J. & J. q. 1. art. 6.* paterque ob egestatem & sustentationem sui ipsius filium jure vendere possit. *l. 2. C. de patrib. qui filios suos disbrax.* atque venditio illa potius ex inclinatione naturali, quam ex patria potestate procedat, quin etiam filius emancipatus ad prædicta obligetur arg. *l. 5. §. 1. ff. de lib. agnosc.* Verum, & nos libenter concedimus, teneri filium ex allegatis, cum sit quædam portio patris arg. *l. ult. C. de impub. & aliis substitui.* pro patre maxima subire pericula; exinde tamen non sequitur: posse, vel debere eum loco patris vitam ponere. Non enim facienda sunt mala, ut inde eveniant bona. *c. si non sunt 32. q. 4.* Nec quisquam est vite sue dominus, & mors propria nulla circumstantia potest fieri licita. *c. si non licet 23. q. 5.* ne quidem pro Parentibus. Bald. *in l. & servorum 5. §. 2. in fin. ff. de stat. hom.* Venditionem liberorum quod attinet, mos iste valde est obliterated, & nimis inhumanum est agi cum liberis non secus ac cum merce, præsertim cum liberi hominis non possit dari æstimatio. *l. Celsus 6. de contrab. emt. l. 1. §. si id quod d. Obl. & Act.* Applicamus hic non incommode divisionem Didac. Covarruv. *l. 1. variar. resolut. c. 2. n. 8.* inter actus directe & immediate ad mortem tendentes, & actus indirecte, immediate & ex accidenti ad mortem oportunos. Illo modo, filium nimio amore duci, & peccare statuimus, hoc, si evasio scilicet

et adhuc sperari possit, defensionem patris admittimus.

TH. X. Clarum fecimus hactenus, Nimum semper deformare actiones humanas, atque efficere, ut ea, quæ alias virtutem sapere videntur, in vitia degenerent, nunc accuratius, quomodo circa personas, res, & pœnas versetur, considerabimus.

CAPVT II.

DE

*Nimio circa personas, & in specie
in Societate Nuptiali.*

SUMMARI.

- I. *Transitio ad Nimum circa personas.* II. *In societate nuptiali in eligenda uxore circa formam.* III. *Circa dotem.* IV. *Si sponsus nimio amore incensus promittat imperium mulieri, promissio non est seruanda.* V. *In ætate ad matrimonium habili.* VI. *In præstatione debiti conjugalis.* VII. *In subministracione alimentorum.* VIII. *In defensione.* IX. *In gubernacione domestica.* X. *In castigatione maritali.* XI. *In luctu.* XII. *In nimio sumtu funerario.*

TH. I.

HAut inconcinne facturos nos esse speramus, si melioris ordinis ergo secundum simplices politia societates personas dispertiamus, & qua ratione Nimum in unaquaque occurrat, notemus.

TH. II. Primum igitur se offert *societas Nuptialis*, quæ est conjunctio maris & femina naturalis & indivisibilis à Deo, ob sobolis procreationem, & mutuum adju-

B

tori-

torium, definiente *Aristot. 1. polit. c. 3. § 12.* & ex eo *Cellar. politic. lib. 1. c. 2. tb. 5.* Ducturus vero uxorem alia in eligenda uxore, alia eadem jam ducta, observat. Prudens quisque provide explorat formam, genus & mores ejus, quam in matrimonium sibi destinavit. Caveat tamen ne nimia facilitate vulgi rumores excipiat, qui vani sapius & falsi corvino colore cygnos depingunt candidissimos. Hinc errant illustres personæ, quod aliorum relationi nimium fidant, nec ipsi sociam thori adeant, moresque & ingenium explorent; proxenetarum enim proprium est, ut pecunia corrupti, non minus ut pictores ex Rana Diam faciant. *Limnæ. in not. regn. Franc.* nec credat nimium formæ: nam juxta *Maronem*;

ΔΙΑ ΝΙΜΙΟΥ ΝΕ ΚΡΕΔΕ ΧΩΡΙ

alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Quid est speciosa mulier? Sepulcrum dealbatum, nisi fuerit sobria, casta, pudica. Pulchritudo enim sine his virtutibus est præcipitium patens, venenum inspicientibus compositum. *D. Chrysothomus super Psalm 50.*

Ac sæpe occulit picta sese hydra sub herba.

Et nivea irrepit furialis lilia vermis.

Quin animus nequam atque occulto crimine plenus,

Sub specie forma incauto se sæpe marito

Vendit, ac misere tulit invida jurgia lecto.

Arnifæ. d. jur. connub. c. 3. sect. 7. n. 23. *Dn. Prasfes in tract. quem inscribit: Præsidia domus illustris sect. 4. tb. 3.*

TH. III. Rei etiam familiaris cura non postrema habenda est. Cum enim uxor in familiam mariti transeat, ejusque inspectioni se concedat, valde humanum est, ut levamen onerum maritus quærat, & dote accepta conjugii molestiæ facilius tolerentur, *h. 1. 2. § 7. ff. de jur. dot.*

dot. l. 10. 11. & 20. C. eod. ea namque ratione alere & tueri
facilius poterit uxorem, cum verissimum sit illud Horat.
2. sermon.

- - divina humanaque pulchris
- - divitiis parent.

Quod si vero quis æqualitatem in quærenda dote negligit,
nimiamque affectat, non modo æstimationem suam læ-
dit, si protinus ad centum, de moribus ultimam faciat
quæstionem: sed & si forte sua majorem impetraverit,
commode ipsi accini poterit illud Horatianum 3. od. 24.
dotata regit virum conjux, cum plerumque argentum
dote accipientes imperium vendant juxta Plaut. in *Asinar.*
& nimis dotata angant & mactent viros,

Turpius nil unctiore à dote coniugis viro.

Subservire sibi dotata postulat quævis virum.

Th. IV. Peccant etiam in contrahendis matrimo-
niis, qui ætate adhuc nimis tenera vel decrepita nuptias
ineunt. Quanquam enim terminus pubertatis à Sacra-
tiff. Imper. pr. *Inst. quib. mod. tutel. finit.* præscriptus sit,
præmatura tamen illa corporum conjunctio multa secum
incommoda trahit, quæ recenset Cellar. *politic. c. 2. th. 18.*
Nimium vero senes eludunt benedictionem illam sacer-
dotalem: *crecite & multiplicamini &c.* cum mutui sal-
tem adjutorii gratia, primario fine penitus neglecto, ma-
trimonium contrahant. Hinc Hahnus recte ait, matrimo-
nium hoc non esse validum de jure, sed tamen per-
missum. Haveman. in *Gamolog. Synopt. lib. 2. tit. 3. posit. 9.*
capularibus istis senibus desipientibus commendat pre-
ces Horatii:

Non sum; qualis eram bona

Sub regno Cynara: desine dulcium

B 2

Mater

Mater sava cupidinum.

Circa lustra decem flectere mollibus

Jam durum imperiis.

Plura huc quæ faciunt vide in Dissert. D. Præfidis *de calore juvenili sect. 5. th. 4.* Quando sponsus præ nimio amore promitteret sponsæ imperium, hæc promissio nulla est, nec servanda; quia mari utpote præstantiori, imperium omni jure & naturali in fœminam competit, & jure divino, tam ex veteri *Genes. III. v. 16.* quam novo testamento ad *Eph. V. v. 22. ad Colossens. III. v. 18. 1. Pet. III. v. 1.* & humano *l. 57. pr. ff. de donat. inter vir.* Ejusmodi pacta contra bonos mores & honestatem videntur esse.

TH. V. Conjux conjugi potestatem corporis sui facit, hinc ad præstationem debiti conjugalıs invicem tenentur. Quemadmodum vero ob impotentiam generandi definit matrimonium *t. t. X. de frig. & malefic.* ita etiam ob nimiam viri potentiam, si congrredi cum ipso uxor aut non possit, aut nolit, irritum declaratur, & nullum, cum idem finis hoc casu cesseret, qui in impotentia, sobolis nimirum procreatio. vid. Meerbach. *in discursu inaugurali de Jure Divortior. c. 4. th. 8.*

TH. VI. Alimentorum subministratio, quæ & exhibitio alimentorum in LL. appellatur. *l. Nescimus 34. ff. de negot. gest. l. insulam 42. S. usuras. sol. matrim.* sub se continet cibaria, vestitum & habitationem. Omnia hæc ex lege naturæ maritus uxori præstare tenetur. Necare enim videtur, qui alimonia denegat. *l. 4. ff. de agnosc. & აღ. lib.* At vero nimium tribuit, quisquis dapes justo delicatiores apponit, vel nimis liberali sumtuum erogatione superbiendi materiam imbecillo sexui suppeditat. Cum etiam juxta *Paulum 1. Timoth. II. v. 9.* honestus non luxu.

luxuriosus feminas deceat vestitus. Et quanquam fe-
 minarum sic, ornatui studere, immodicum tamen preti-
 um vestibus impendere cum ratione pugnat & honestate.
 vid. D. Præses *dissert. de jocalibus vom Weiber. Schmuck*
cap. 4. th. 5. Ad hæc ex superfluo & luxurioso femina-
 rum ornatu scandalum oritur, & ad peccata invitamen-
 tum. Mos tamen regionis & qualitas personarum circa
 vestium præparationem inspicere debet. *per l. 1. pr. § l. 37. ff.*
de iur. cum perpetuum id esse in jure tradat Fræherus de
fama l. 1. c. 10. n. 15.

TH. VII. Alimentorum subministrationem fe-
 quitur *defensio*. Æquum enim est imbelles uxores à viris
 defendi. *§. 2. Instit. de injur. l. 2. ff. eod.* immo etiam si eum,
 qui uxori suæ stuprum per vim inferre tentat, occiderit,
 pœnam non incurrit. *per l. 1. §. item Divus. ff. ad L. Cornel.*
de Sicar. §. venef. add. Gœdd. in explic. l. 3. de J. & J. axiom.
 4. si tamen præ nimia iracundia moderamen inculpatæ
 tutelæ exceßerit, ordinariam quidem homicidii pœnam
 effugiet, infrenatæ tamen manus pro arbitrio Judicis pœ-
 nas luet. vid. Dominic. Cardin. Tusch. *tom. 2. pract. con-*
clus. lit. D. conclus. 129. num. 4. Jacob. Menoch. *lib. 2. ar-*
bitrar. judic. quæst. centur. 3. cas. 278. n. 1. & seqq. Nicolaus
 Boër. *decis. 168. num. 17.*

TH. IIX. Restat ut de *Imperio mariti* in uxorem
 quædam subjiciamus, & quâ ratione modum excedat in-
 quiramus. Capitis instar maritus uxori dominatur, &
 quotiescunque ille hujus dominio paret, natura inverti-
 tur, abjectissimumque ingenium suum prodit. Memi-
 disse tamen decet viros, si tyrannidis in simulari nolint, in-
 tercedere inter ipsos & uxores conjunctionem vitæ indif-
 solubilem, datamque esse mulierem non tori solum, sed

& domestici imperii quodammodo sociam. Eleganter
 Martialis ille Anglicus *lib. un. epigramm. 128. ad amicum con-
 jugatum :*

*Imperet ipsa nihil, quidvis tamen impetret uxor,
 Utere nec serua conjuge, nec domina.*

Nimium proinde sibi arrogat imperium maritus : qui
 non modo injuriosis increpationibus uxorem adoritur,
 sed verba feriam verberibus cumulat. Et crudeles sunt
 juxta Bodin. *lib. 1. de Rep. c. 3.* imo crudissimi, qui sine præ-
 gnantissima causa, nec pravia uxoribus insigni contuma-
 cia, quin tentatis in antecessum omnibus humanioribus
 remediis ad verbera statim convolant. Cum tamen fer-
 vili hac correctione se ipsos verberibus afficiant, eo quod
 uxor est pars corporis mariti. *c. admonere. 33. q. 2.* Repre-
 hensio genus est medicamenti quoddam ex amaris illis,
 quæ corpus non sine averfione & horrore quodam cu-
 rant, atque expurgant, uti loquitur Ludovicus Vives *de
 officio marit. p. 144.* ideo non nisi summa necessitate ur-
 gente est adhibenda, exemplo callidorum in re medica
 Chirurgorum, qui ad sanandum aut utendum non de-
 scendunt, nisi impulsu extrema necessitate, aliis omnibus
 remediis tentatis prius & necquicquam consumtis. Quod
 si modesta omni admonitione rejecta, improbam se con-
 tinuo gerat, vel Xantippes in morem subinde latret, nul-
 lus affirmare dubitaverim, quin etiam verberibus coër-
 ceri possit, quæ tamen ut sint moderata, ex emendandi
 animo profecta, & patientis ingenuitati nihil præjudican-
 tia necessarium existimo. Quod si maritus nec hisce quic-
 quam proficere potest, rectius certe facit, antequam ad
 crudelem verberationem & inhumanam tractationem
 dilabatur, quando æternas hæcce lites magistrato aut Con-
 sistoriis dirimendas submittit.

Th. IX.

TH. IX. Placet hic inferere quaestionem: si maritus nimia iracundia ceu aëstro percitus continuis & atrocibus verberibus uxorem suam excipiat, an eo ipso vinculum matrimoniale solvatur? Videtur omnimoda solutio locum habere *pr. l. 8. C. de repud.* at vero constitutio illa per *Nov. 117. c. 14.* est abrogata, & hodiernis moribus separatio tantum quoad mensam & torum, seu cohabitationem, si sc. altera persona conjugata alio modo tuta esse nequit, admittitur. vid. *Illustr. Dn. Struv. Syntagm. jur. civ. exerc. 30. tb. 41. & 43.* ibique allegat.

TH. X. Solvitur societas maritalis morte alterutrius; hinc luctus inde orientis habenda est ratio. Luctus tempus apud Hebræos triginta dierum fuit. *Devt. cap. XXI. v. 13.* Totemum (notat Josephus *l. 4. antiquit. Judaic.*) Sipienti ad deplorandum sibi charos iufficere. Apud Romanos annus luctui mulierum praestitutus est *l. ff. qua 2. C. de secund. Nupt. Nov. 22. c. 40.* Annum (inquit Seneca *epist. 63.*) scæminis ad lugendum constituere majores, non ut tamdiu lugerent, sed ut ne diutius Nimis enim lugent, qui lugendi finem non faciunt, nec cogitant se cum hominibus vixisse, qui ea lege nati erant, ut aliquando morerentur. vid. *l. 11. §. 1. ff. de his, qui not. infam. Schönborn. politic. l. 1. c. 4.*

TH. XI. Nimum quoque indulgent amori suo, qui mortua conjuge immodico sumtu funus praeparant, pretiosisque cadaver exornent. Non quidem improbantur vestes mortuis circumdatae *l. 14. §. 4. ff. de relig. & sumt. fun.* cum flagitium praescis fuerit, nudum relinquere cadaver hominis mortui. Alexand. ab Alexand. *Genial. dber. 3. c. 2. circa fin.* ornamenta tamen ne cum mortuis condantur, prohibetur *d. l. §. 5.* Et nulla ratio demonstrari potest,

est,

est, cur immodicos in demortuos sumtus faciamus. Suf-
 ficit si amiculum ferale secum ferant. Non enim in are-
 nam descendunt, ubi festivitates & choreæ ducendæ sunt,
 sed à vermibus consumuntur, uti bene monet Anton. de
 Gvevarra *Horol. Princip. l. 3. c. 55.*

CAPVT III.

*De Nimio circa personas in societate pater-
 na & Tutela.*

SVM MARIA.

- I. Transitiõ ad societatem paternam, ejusque divisiõ. II.
 Nimium in potestate paterna. III. In correctione pa-
 terna. IV. Nimia Parentum indulgentia libris quana
 maxime nocet. V. In castigatione preceptorum. VI.
 Alimentorum subministrat. VII. Elocatione. VIII.
 Dotatione. IX. In tutela.*

TH. I.

Nuptiali succedit Societas paterna, non quidem ordi-
 ne, quem sacratissimus Imperator in elementis Juris
 observat, ordine tamen magis naturali. Alia vero est
 patria potestas absolute spectata, alia relative & determi-
 nate ad Rempublicam Romanam. Dn. Struv. *exerc. 3. th.
 37.* Illa descendit ex Jure naturali, & parentibus à natu-
 ra est indulta, ut feliciori successu negotium educationis
 suscipere possint; hæc vero Jure civili novis qualitatibus
 aucta est & efformata. §. 2. *Inst. de patr. potest. l. 3. ff. de his,
 qui sunt sui vel alien. Jur.*

TH. II. Despoticum erat & nimium in liberos Pa-
 rentum imperium stante antiquitus Romanorum Repu-
 blica. Jus enim vitæ ac necis in liberos exercebant pro-
 lubicu,

libitu, sicuti hoc pacto Verginius filiam plane innocentem arrepto à Ianione cultro interfecisse legitur, l. 2. §. 24. ff. de O. J. De Nimia parentum in liberos potestate ita Halicarnasseus lib. 2. fol. 96. & 97. antiqu. Roman. scribit: Romanorum Legislator omnem potestatem dedit patri in filium, idque toto vita tempore; sive in carcerem eum detrudere, sive flagris cedere, sive vinctum ablegare ad rustica opera, sive necare libeat; etiamsi filius tractet Rempublicam, etiamsi Magistratus gesserit maximos, etiamsi studiis erga rempublicam laudem sit promeritus. Quam legem ab initio à Romulo latam, postea inter L. XII. tabb. receptam esse, constans & veterum pariter & recentiorum est traditio, vid. Gothofred. ad Tab. IV. pag. 72. & 73. Humaniter actum videbatur, quando adhibitis in consilium propinquis de vita liberorum cognoscebant, formatoque iudicio capitis sententiam dicebant. vid. Val. Max. l. 5. c. 8. Quam immodicam patrum potestatem rescriptis suis Imperatores sustulerunt, eo quod eam non in atrocitate, sed pietate consistere debere censuerint l. 5. de L. Pomp. de patricid. & l. 2. ff. ad L. Cornel. de Sicar. Certe iniquum & Reipubl. perniciosum est, licere patri filium vel jure vel injuria absque legitima causa cognitione occidere, quod ne quidem iudici & Magistratui concessum. vid. Enenckel de privil. parent. & liber. n. 7.

TH. III. Sublato vitæ ac necis iudicio corrigendi liberos potestas adhuc erat relicta, si tamen intolerabilem parentum sævitiam ferre non sustinebant, ejusmodi inclementes & asperi patres cogebantur filios emancipare, per l. ult. ff. si à parent. quis manumiss. sit. quale remedium etiam hodie adhuc adversus parentes crudeliores superesse non

dubi-

dubitaverim. vid. *de emancipationum moderno usu*. D. Eiben. *Observat. Theoret. Pract. ad Instit. observ. 13.*

TH. IV. Totius vitæ momentum & felicitas consistit in educatione. Cernimus autem nimiam sapientium Parentum indulgentiam quam maxime nocere liberis. De quo Lycus Plautinus Pædagogus conqueritur in *Bacchid. act. 3. scen. 3.*

*Nunc prius septennis est, si attingas eum manu,
Extemplo puer pædago disrumpit caput.*

Cum adeas patrem postulatam, puero sic dicit Pater :

Noster esto, dum te poteris defendere ab injuria :

Provocatur pædagogus : eho Senex minimi pretii

Ne attingis puerum ista causa, quando fecit strenue.

It Magister quasi lucerna uncto expretus linteo.

Periculum est, ne liberi ut futiles post vitam non bene ætatem contemnuntur, & in senectute à liberis tales Parentes deserantur Dn. Præsid. *in præsid. domus illustr. cap. 2. posit. 3.*

TH. V. Cum Præceptores etiam parentibus æquiparentur, eo, quod sicut ab illis vitam, ab his bene vivendi modum accipimus, videndum est, quousque his discipulos suos castigandi licentia permittitur. Et verum est, levem saltem & moderatissimam ipsis competere correctionem. *l. 5. §. ult. ff. ad L. Aquil. nimiamque præceptoris sævitiam culpæ assignari. l. 6. ff. eod.*

TH. VI. Unusquisque naturaliter debet alimenta ei, qui viscerum suorum pars est, quemque sine iis interiturum esse novit, *arg. l. ult. §. 5. ff. de agnos. & alend. liber.* Plus justo autem naturali huic inclinationi indulget, qui unum aliquem præ cæteris liberis sibi diligit, ejusque inutilitatem, cæteris neglectis facultates suas distrahit & absumit. Schönborn. *polit. l. 1. c. 7.*

TH.

TH. VII. Occupatur pii patris officium circa *elocationem filia*, & tamen nimia, ut sibi videtur pietate, sapius peccat. Videns enim puellam viro maturam, annisque nubilem, omnibus votis generum sibi experit, quem ubi invenit, nec filiam experitur sequacem, dictisque obedientem, omni modo jus patriæ potestatis exercere conatur, cum tamen expresse coactionem filia ad nuptias sanctissimæ Leges prohibeant. *l. 21. ff. de rit. nupt.* & nihil magis cum libertate matrimoniorum pugnet, quam coacta voluntas. *cap. cum locum 14. X. de Sponsal. c. 10. X. de procuratorib.*

TH. IIX. Æque graviter peccatur circa dotationem filia. Aut enim dotem constituere pater recusat, quam tamen dare magistratus autoritate compelli potest per *19. ff. de R. N.* quia Reipubl. interest dotatas esse fœminas ad procreandam sobolem, & replendam liberis civitatem *l. 1. ff. sol. matrim.* aut nimis liberalem in eroganda dote se gerit, promittenda majorem opibus suis dotem. Legitima enim dum Juniores defraudat, rixarum & discordiarum seminat materiam. Possunt namque etiam fratres post obitum parentis, si sorori nimis ampla dos assignata fuerit, ad legitimam eam revocare, prout ita discribit Magnific. D. Lyncker *in prælection. privat. ad Syntagm. Struvian. tit. de Jure dotium.*

TH. IX. Cum non raro contingat, ut filii per mortem patris sui juris efficiantur, ob imbecillitatem vero ætatis, nec sibi nec rebus suis prospicere possint, adeoque defensore & bonorum administratore opus habeant, paucis, quomodo tutores nimia sui fiducia peccent, perlystrabimus. Nimium potestati sibi concessa tribuunt, qui tutelæ administrationem sine prævia Inventarii confecti-

one, & Magistratus decreto suscipiunt. *l. tutores 24. C. de administrat. Tut. & Curat.* Reformation guter Pollicey de Anno 1548. & de Anno 1577. tit. von der Pupillen und Minderjährigen Kinder Tutorn und Vormunden. vid. Philipp. *us. pract. ad Instit. lib. 1. Eclog. 78.* ibique allegat. Quin etiam, ubi duriter nimis habent pupillos, vel alimenta nimia cessatione præstant. Ejusmodi enim tutor causa cognita removendus est, vel curator adjuendus. §. 9. *Inst. de susp. tutor. l. ult. ff. ubi pupill. morar. vel educ. debeat.* Vis enim illa in caput liberum non debet esse atrocior, sed amicabile quædam potestas pupillum defendendi, ejusque bona administrandi. D. Præses in *Colleg. privat. ad Instit. 1. de tutel.*

CAPVT IV.

DE

Nimio in Societate Herili.

SUMMARIA.

- I. *Transitio ad societatem herilem, ejusque divisio.* II. *Nimium circa potestatem herilem.* III. *Nimie hujus potestatis correctio.* IV. *Nimium circa jus acquirendi per servos.* V. & VI. *Circa homines proprios.*

TH. I.

Explicata brevibus in capite præcedenti potestate, qua gaudent parentes, & illi, qui parentum loco sunt, in liberos suæque curæ concreditos, subjiciendum est jus despoticum, Dominis in servos competens, & qua ratione potestate sua abuti, modumque excedere possint. Jus olim apud Romanos in servos duplex erat, docente Impera-

peratore §. 1. *f. de bis, qui sui vel alien. jur. sunt.* Jus nimirum vitæ ac necis, & jus acquirendi per servum.

Th. II. Multum vero distare, quod Gentium jure in servum fit, quodque jure natura licet, eleganter inquit Grotius *d. f. B. & P. l. 3. c. 17. §. 2.* Expediebat enim Rei Romanæ concedere Dominis domesticam Jurisdictionem, ut eo melius securitati publicæ confuleretur, àque servorum conspirationibus, dum sciebant dominum semper ultorem, magis essent securi.

Th. III. Factum tamen, cum nimis rigide dominarentur, & in servos non aliter, quam in pecora savirent, nimiam hanc licentiam Dominis esse ademtam, & cogebantur Domini nimis asperi servos suos bonis conditionibus vendere, quia expedit Reipubl. ne quis re sua male utatur. *l. 1. & 2. ff. de bis, qui sui vel alien. jur. sunt. §. 2. Inst. eod.* imo adeo immoderata hæc potestas restricta est, ut tandem Dominus dolose servum occidens, homicidii reus factus sit. *l. un. C. de emendat. servor.*

Th. IV. Alter dominicæ potestatis effectus erat acquisitio per servum. Nihil enim proprii potest habere servus, sed quicquid acquirit, id domino acquirit. *l. 79. ff. de omitt. & acquir. heredit.* Id tamen de licita acquisitione, & ex rebus licitis proveniente est intelligendum. Nam quando Domini lenones peccandi necessitatem ancillis imponebant, invitasque coitionis sordes ferre cogebant, ut ipsi saltem meretricio lucro fruerentur, placuit sacratissimis Imp. Theodos. & Valentinian. ejusmodi Dominos potestate domini privari, & metallis publicis addici, prostitutas vero omni miseriarum necessitate absolvi, i. e. in libertatem vindicari, per *l. 12. C. de episc. audient. l. 6. C. de Spectac. lib. XI.*

TH. V. Hodier rigor iste servitutis quidem est sublatus, servitutis tamen quædam et si mitior species in hominibus propriis adhuc superest. Cujusmodi homines quoad operas & bona sunt Dominorum, ita ut una cum terra vendi, privata autoritate apprehendi & incarcerari possint; nec ea conditione liberantur, nisi Dominorum voluntate, qui eos aliquando pecunia accepta manumittunt. vid. Magnif. Dn. Struv. *Syntagn. Jur. Civ. exerc. 23.* & Frider. Husan. *tract. de hominib. propr. c. 2. n. 1. seqq.*

TH. VI. Quanquam vero istius farina homines plerumque abjectissimi sint animi, cujus exemplum præbent agrestes illi homines in Livonia, qui à Nobilibus suis, si injunctum pensum non solvunt, miserrime vapulant. Quos dum Stephanus Poloniae Rex Anno 1582. in majorem libertatem vindicare constituisset, ei Rustici: nolle se antiquas consuetudines mutare, & durissima potius perpeti malle, quam aliquam introduci novitatem. *Beold. Thesaur. pract. voce Veibeigene Leute.* Nimum tamen obliviscuntur humanitatis Domini illi, qui subditos suos sæpe infantes lethiferis armis adoriuntur, vulnerant, & ex levissima causa misere in carceres detrudunt. Vel etiam operas indeterminatas in infinitum extendunt, cum tamen potius sint restringendæ, quam extendendæ, juxta *Const. Elect. p. 2. c. 51. & 52. ibique Carpz. def. 6. & 7.*

CAPVT V.

DE

Nimio circa Jus in Re.

SVM MARIA.

I. *Transitio ad Nimum circa res.* II. *Circa venationem & aucu-*

aucupium jure veteri. III. Moribus bodiernis. IV. Nimum circa inventionem rerum ad litus maris. V. Circa inventionem thesauri. VI. Circa occupationem bellicam. VII. Circa usucapionem. VIII. & IX. Circa servitutes personales. X. Circa reales. XI. & XII. Circa pignus.

Th. I.

Quanquam verissimum sit, quod Nerva filius ait: *dominium rerum ex naturali possessione cepisse, ejusque rei vestigium remanere in his, quæ terra, mari, cæloque capiuntur. Et hæc protinus eorum fieri, qui primi possessionem eorum apprehenderint. l. 1. §. 1. ff. de acquir. vel amitt. possess. justis tamen ex rationibus justissimæ leges libertatem hanc naturalem coarctarunt, nimumque circa habendi cupidinem correxerunt.*

Th. II. Olim quidem ubique locorum venari permissum erat §. 12. *J. de R. D. & feræ ejus dominiæ fiebant, cujus in potestate pervenerant. l. 14. ff. de acquir. rer. domin.* Si vero quis venandi aucupandique studio agrum alienum ingressus esset, is à Domino prohiberi, vel etiam injuriarum judicio conveniri, *per l. 3. §. 1. ff. de A. R. D. & l. 13. §. 7. ff. de injur.* imo & vi fundo expelli poterat, quia qui invito domino fundum ingreditur, videtur vim facere. *l. 73. §. 2. ff. de R. J. l. 1. §. 5. quod vi aut clam.* Vim autem vi repellere omnia jura, omnesque leges permittunt. *l. 12. ff. quod met. caus. l. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil.* Secus est in animalibus, quæ naturaliter quidem fera sunt, consuetudine vero, vel cura singulari ita mansueta facta, ut evolare & revolare soleant. §. 15. & 16. *Inst. de R. D.* illa enim semper nostra esse intelliguntur, quousque revertendi a-
nimum

nimum habent. *l. 5. §. 5. ff. de A. R. D.* Hinc nimis late fer-
 ras capiendi licentiam extendit, qui istiusmodi feris, co-
 lumbis vel aliis mansuefactis insidiatur, imo furti actione
 tenetur. *l. Pomponius 8. §. 1. ff. famil. hercisc.* Barthol. Cæ-
 poll. *tract. de Servit. Urban. pradior. c. 77. de columbario. n. 1.*
 Berlich. *p. 5. concl. 50. n. 10.*

TH. III. Hodie Jus venandi ad Principes pertinet.
 Et nimis frivola excusatione ad antiquiora gentium jura
 provocant, qui venationem sine speciali concessione ex-
 ercere contendunt. Rosenthal. *de feudis. cap. 5. conclus. 14.*
 Gail. *lib. 2. observ. 66. n. 7.* Lex enim civilis, quanquam
 nihil potest præcipere, quod jus naturæ prohibet, aut pro-
 hibere quod præcipit, potest tamen libertatem natura-
 lem circumscribere & vetare, quod naturaliter licebat,
 atque etiam ipsum dominium naturaliter acquirendum
 vi sua antevertere. Grot. *de J. B. & P. l. 2. c. 2. §. 5.* Et
 Princeps bono jure circumscribit indeterminatam subdi-
 torum libertatem, quemadmodum & alia multa in civi-
 tate libertatem naturalem limitant ob publicam univer-
 sorum salutem, & fructuosam Reipubl. quietem. Hennin-
 ges *ad d. loc. Grotii.*

TH. IV. Licite etiam colligebantur olim marga-
 ritæ, gemmæ & lapilli circa littora maris. *l. 1. §. 1. de acquir.
 vel omitt. possess. §. 18. f. de Rer. Divis.* Nimis vero avaræ
 manus eorum, qui naufragorum bona ad litus appulsa
 furripiunt. Justitiæ enim est, ne afflicto addatur afflictio.
l. tam dementis 28. d. Episc. audient. c. cum percussio 7. qu. 1.
 etsi enim naufragium patientes res suas ejiciant, non ta-
 men pro derelictis habent, collecturi si rursus invenerint,
 & si suspicari possint, in quem locum ejectæ sint, requisiti-
 turi, adeoque res istiusmodi jactæ domini manent, neque pri-

primum apprehendenti cedere possunt. *l. 8. ff. d. L. Rhod. d. fact. l. 2. §. 8. ff. eod. l. 9. in fin. ff. d. acquir. rer. dom. l. 21. §. 1. ff. d. acquir. l. omitt. possess. l. 7. ff. pro del. l. 43. §. penult. ff. d. furt. §. ult. Inst. de rer. divis.* Quin imo qui Naufragorum Bona in vitis dominis retinere audent, bonorum publicatione mulctantur. *juxt. auth. Navigia C. de furt.* Hodie res, quæ in littoribus inveniuntur, ex plenitudine potestatis domini territorialis ad augendum fiscum sibi adscripserunt. *Preussisch Land, R. l. 3. tit. 1. art. 3. §. 3.* ubi habetur: *Es kan noch mag an den Gestaden des Meeres Fische zu fahen/ oder etwas anders zu suchen/ niemant verbothen oder verwehret werden/ aufferhalb des Bornsteins/ welchen an den Gestaden des Meers aufzulesen jederman/ bey höchster Straff/ in unserm Herzogthum Preussen verbothen ist. Dn. Struv. Syst. Jur. Civ. Exerc. 41. th. 22.*

TH. V. Thesaurum Leo Imperator in *l. un. C. de Thesaur.* Dei Beneficium appellat, atque eo ipso indicat, legitimam Thesauri inventionem inprimis Deo, tanquam omnium bonorum Datori acceptam esse ferendam, & relinquitor *d. l. un.* tota hæc vetus depositio Inventori, siquidem in proprio fundo inventa fuerit, dimidium si in alieno. Nimirum vero, si quis opibus inhiet, & sceleratis Sacrificiis aut qualibet alia arte legibus odiosa thesauros quærat & inventiat, non tantum amissione inventi, sed & alia pœna meritissimo jure afficitur, & totum quod inventum est, fisco vindicatur. *d. l. un. C. de Thes. l. 5. C. de malef. Cardin. d. Lugo d. 7. & J. D. 6. Sect. 11. n. 12. Card. Tusch. pract. Concl. 300. tom. 8. n. 1. lit. t. Perez. in Cod. de Thes. n. 3. Arnif. de Jure Majest. l. 3. c. 6. n. 23. in fin. Berl. p. 2. concl. 66. n. 6.* Nimia etiam nonnullis videtur thesauros investi-

D

gandi

gandi curiositas virgula mercuriali (die Wünschel-Rute) adhibita. Sperling. in *Disp. An virgula mercurialis agat ex occulta qualitate*, hab. Witeb. anno 1668. ubi implicitum cum Satana pactum inesse defendit, quod etiam astruit Mart. Zeil. in *Epist. cent. ult. ep. 10.* & sane multa in ejus usu superstitiosa concurrere negari vix potest. Quæ enim ratio, quod die Johannis hora 12. præparetur: quod in versis manibus teneatur, & pars illa, quæ thesaurum versus inclinare debet, ad pectus dirigatur. Hinc Joh. Ferrar. ad §. 39. *J. d. rer. divis.* virgam illam sortilegam, quam Æruscatores circumferre solent, improbatam & magicam artem appellat. Cum tamen & alii dentur, qui negant, virgulæ huic divinatoriæ ullam subesse incantationem, aut artem diabolicam, sed potius occultam & conatam Sympathiam asserunt, quos inter Joh. Gryphiand. *Oeconom. Legal. lib. 1. c. 20. §. 40.* & Camerar. *Cent. 1. borar. succif. c. 73.* qui eam inter mirandas res Naturæ refert, de quibus solida ratio reddi nequit; Eapropter quætionem illam, an Thesaurus hac ratione inventus, magicarum artium præsumtionem inducat, & fisco applicandus sit, prudentiorum judicio relinquimus. Vid. Georg. Agric. *l. 2. de re metall.* Wierus *l. 5. de præstig. demon. c. 8.* Anton. del Rio *lib. 2. Disquisit. magic. quæst. 12. n. 10.* Extra dubium vero est, eos, qui spectri nutum sequuntur, ut thesauro potiuntur, enormiter peccare. Trahuntur enim nimia auri fame & ducem sequuntur diabolum, qui spe lucri inflatos animos ad obsequium suum laceffit. *arg. cap. 2. X. de Sortileg.* Quomodo excedatur, si vasallus, emphyteuticarius, aut dominus proprietatis thesaurum inveniunt, pro circumstantiarum ratione, vid. *l. 11. ff. si ager ve-*
stig. l. 1. §. 1. & 2. ff. de Superfic. 2. fend. 8, 23, 26, 33. Birsch.
tractat:

tractat. de thesaur. part. 2. §. 142. seqq. Finckelth. *disp. 3. de feud. quæst. 18.* Ludw. *de feud. cap. 15. pag. 380.* Bocer. *in tractat. de regal. cap. 3. n. 181.* Carpz. *part. 2. const. 53. def. 6. in fin.* Georg. Schulz. *Synops. Instit. tit. de R. D. lit. aa.*

TH. VI. Quemadmodum res, quæ nullius sunt, acquirere licet per *l. 2. ff. pro derelict. §. 46. Inst. de rer. div. & acquir. rer. domin.* ita etiam jure belli, quæ hostibus eripimus, nostra fiunt, *l. 1. §. 1. de acquir. vel amit. possess. l. 5. §. fin. l. 7. pr. de acquir. rer. domin. §. 17. Inst. de R. D.* Nimis vero extendunt Jus Belli, qui cum debebant esse defensores, raptores evadunt, & incolis sua per vim auferunt. Hinc etiam Latrunculi appellantur *l. 118. de V. S. & tanquam raptores puniuntur. In Erklärung des Landfriedens zu Nürnberg* de anno 1522. tit. *Ob etliche Personen oder Güter*; Philipp. *in usu pract. ad Inst. l. 2. tit. 1. Eclog. 7.*

TH. VII. Introducta est Jure Civil. ob bonum publicum *Usucapio*, ne scilicet rerum dominia in incerto sint, litiumque aliquis finis statuatur, *pr. Inst. de usucap. & long. temp. prescript. l. 1. pr. ff. h. t. l. f. ff. pro suo.* Cum vero nimis durum videatur eum, qui propter absentiam vel aliud impedimentum legitimum res suas vindicare non potest, dominium per usucapionem amittere, ex æquitate prator proposuit, quo, usucapione licet impleta, ac si nondum facta esset, fingitur, dominusque pristino suo juri restituitur, *§. 5. Instit. de action. & t. t. ff. quib. ex caus. maj.*

TH. IIX. Vindicamus non corporales tantum, sed etiam res *incorporales* in jure consistentes, quæ servitutes vocantur, Magnif. Dn. Struv. *Exerc. 12. tb. 1.* Ea cum sint vel personales vel reales, circa utrasque nimium exponemus.

nemus. Quoad personales regulariter tenendum, semper ita concedi, vel testamento relinqui usum & usufructum, ut usufructuarius eo secundum conditionem ejus utatur. *l. 15. §. 1. ff. d. usufr.* Jus igitur usufructuarii excedit, qui rem alienat. *l. 9. C. eod. immutat. l. 8. l. 44. l. 17. §. 1. l. 13. §. 7. ff. de usufruct.* Etiam qui non ad eam utilitatem rem adhibet, ad quam natura secundum suam qualitatem, *l. 7. pr. l. 9. pr. l. 59. §. 1. l. 13. §. 5. ff. de usufr.* vel Patrisfamilias instituto destinata erat, *l. 13. §. ult. l. 9. §. ult. eod.* Sic cui vestium usufructus legatus est, alteri locare non potest; quamvis enim alias res usufructuaria alteri locari possit, *§. 1. in fin. Inst. de usu & habitat. l. 12. §. 2. ff. de usufr.* Quia tamen usufructuarius boni viri arbitratu, seu ut convenit diligenti Patrisfamilias uti frui debet. *l. 65. ff. de usufr. §. 39. Inst. d. R. D.* Bonus autem Patrisfamilias vestimenta sua locare non solet, hinc locando illi cito & immoderate vestibus utitur, *l. 15. §. 4. ff. eod.* Quod tamen de vestibus quotidianis intelligendum; Scenicae enim & lugubres locari possunt, licet hic dominus proprietatis eas locare non consueverit, ad usum enim convenientem, usufructuarius ejusmodi vestimenta locando adhibet; vid. *d. l. 15. §. 5. & Dn. Struv. Exerc. 12. th. 39.*

TH. IX. *Habitatio*, etsi jus habitandi includat, *l. 5. §. 1. ff. Commodat. & regulariter alii iterum locari possit, §. 5. J. de usu & habitat.* Nimis tamen jure suo abutitur, qui eo contumeliose & injuriose utitur, & habitationem Personis inhonestis concedit, ut inde Baldus statuat, taliter excedentem Jus utendi & habitandi amittere, *l. 27. §. 1. ff. de usufr. l. 7. ff. de usu & habitat. ibique Gothofred. in Notis.*

TH. X. Insignem differentiam inter *servitutem ne luminibus officiatur & servitutem prospectus* colligere est ex *l. 4.*

l. 4. 15. 17. §. 1. ff. de serv. ul. P. & l. 12. l. 16. ff. cod. Nimis igitur imperiosus est, qui vicinum, cum saltem servitutem, ne luminibus officiat, habeat, eo adigere laborat, ut prospectum in prædia sua pati teneatur, nec ipsi talem impedire liceat, *arg. l. 12. §. 3. C. de adif. priv.* Eodem modo, cui Jus itineris competit, nimiam ejus latitudinem constituit, si velit uti via. Via enim latitudo ex L. XII. Tab. in porrectum, h. e. in directum octo pedes habet, in anfractum, i. e. ubi flexum est, sedecim. *l. 8. ff. d. S. P. R.* Varro *l. 6. d. lingv. lat.* Iter vero plerumque ad duos pedes in porrectum, in anfractum vero ad octo constituitur. Wesenb. in *Paratit. ad tit. ff. de S. P. R. n. 1.* post Medium. Du. Martinann in *tract. Mathematico. Jurid. Metrologia. c. 4. n. 9. & 10.* Sic etiam qui jure pascendi gaudet, modum in utendo excedit, si pecora morbida in fundo serviente pascere velit. *l. 13. pr. ff. de action. empti.* Periculum enim est, ne alia etiam pecora afficiantur; ubi vero justus contagionis metus exoritur, potest fieri expulsio, Capolla *d. S. R. P. cap. 9. n. 20. & 21.* quod tamen non procedit, si quis plura, quam ab initio constituta servitutis habuit, pecora pascat. Utile enim per inutile non viciatur, *arg. l. 1. §. 17. ff. de agr. quot. & sivo. Cap. Utile 37. d. R. J. in 610.* & qui modum excedit, non punitur, nisi pro excessu, per *l. Gracchus in f. C. d. adult. l. si. adulterium 38. §. Imperator ff. cod. & Baldus in leg. ut vim circa ultimam column. de Just. & Jur.*

TH. XI. Acquirimus etiam Jus in re pignoris in securitatem crediti constitutis. Variè tamen & circa pacta adjecta & circa pignoris prosecutionem modus exceditur, utpote, si creditorem inter & egentem pecuniæ debitorem ita conveniat, ut si tempore destinato debitum

non solvatur, res oppignorata creditori pleno jure acquiritur. Mastert. d. L. Commiss. q. 2. n. 1. Quod iniquum pactum creditorum avaritia excogitatum æquissimis legibus non placet. l. 34. de pignorat. act. l. 45. de solut. l. 16. S. ult. ff. de pignor. & hypoth. l. fin. C. de pact. pign. Videatur Jus Würtenb. part. 2. tit. 7. in rubr. Was für Pächten §. Nachdem wir in Erfahrung kommen. Non minus delinquit, & nimia diligentia rebus suis invigilat, qui propria autoritate debitore non solvente nec pignus tradente rei oppignorata possessionem apprehendit, l. extas. 13. ff. quod metus caus. l. si quis in tantam, C. unde vi. Nemo enim sibi ipsi jus dicere debet, l. un. C. ne quis in sua causa judic. vel jus sibi dic. Harum tamen legum observantiam in Saxonia negat Carpz. p. 4. c. 35. def. 11. n. 4. addatur præfatio Coler. de Process. execut. & decis. 125. ejusd.

TH. XII. Jus ex justa ratione vel præsumta civium voluntate tacitam in quibusdam rebus hypothecam induxit, sic assignatur pignus marito pro dote præstanda in bonis socii. l. un. §. 1. C. de rei ux. act. Nimis tamen rigida esset executio, si ultra quam in id, quod facere potest, conveniretur, l. 17. pr. solut. matrim. Æquitas enim competentia beneficium tribuendum esse svadet, l. pen. de jur. dot. Magnif. Du. Struv. Exerc. 30. th. 54. Pari modo etiam uxori vel ejus Patri pro dote repetenda obligantur bona mariti. Inique vero, si forte bonis lapsus esset, in solidum damnaretur l. un. §. 7. de rei ux. act. Cum etiam filii mariti hoc competentia beneficio gaudeant, per text. express. in l. 18. pr. ff. solut. matrim. Præsumitur regulariter, conductorem bona sua prædij in vecta pignori obligasse. Sed fallitur, quisquis obligationem hanc nimis latam intelligit, eamque ultra prædia urbana extendit.

Quæ

Quae enim invehuntur in pradium rusticum, pignori non obligantur, l. 4. pr. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. tacit. l. 7. l. 18. C. qv. res pignori.

CAPVT VI.

DE

Nimio circa Contractus.

SVMARIA.

Tb. I. De nimio circa mutuum. II. Circa usuras. III. Circa fenus nauticum. IV. Circa commodatum. V. Circa depositum. VI. Circa pignus. VII. Circa obligationem verborum. VIII. Literarum. IX. Circa emtionem venditionem. X. & XI. Locat. conduct. XII. Circa Emphyteusin. XIII. Circa societatem. XIV. Circa mandatum.

TH. I.

Distingvuntur contractus in proprie dictos & quasi contractus, illi rursus in nominatos & innominatos. Missis innominatis & quasi contractibus, saltem quomodo circa nominatos nimium versetur, attingemus. Sunt autem illi quadruplices, reales, verbales, literales & consensuales. §. 2. Instit. de oblig. Dn. Struv. Exerc. 16. lb. 3. & 4. Reales inter primo loco se offert Mutuum. Dantur mutuo res fungibiles, pondere, numero & mensura consistentes, l. 2. §. 1. & 3. de reb. credit. §. 1. Inst. quib. mod. re cont. obl. Maxima vero difficultas circa pecuniam mutuum exoritur, sicut enim creditor multum defraudatur, quando reprobata & abolita monetam, modo summa mutuo data adfit, recipere tenetur, secundum Ludov. Rom. in l. cum quid 3. ff. de R. C. n. 10. v. tamen dic. Ernest.

Cothm.

Cothim. *consl.* 34. n. 76. *seq. vol. 1.* ita e contrario nimum quantum debitor gravatur, quando moneta in melius mutata, ad eandem quantitatem restituendam astringitur. Albert. Brun. Astenf. *tract. de monet. partic. seu declar.* 16. n. 2. *ibi: Utile est advertendum.* Tutissime tempus contractus inspicitur, ita, ut siue aucta fuerit moneta, commodum sit debitoris, & is augmentum detrahare possit, siue sit diminuta, incommodum etiam ad debitorem spectet, ut is supplementum addere cogatur. *per text. in capit. cum Canon. 26. & cap. olim causam 20. X. de censib. l. cum quidem 3. in fin. ff. d. R. C. l. Rutilia Polla. 69. ff. de contr. emt.* Philipp. *in usu pract. ad Inst. Justin.* ubi præjudiciis hanc sententiam confirmat *libr. 3. Eclog. 39. Berlich. part. 2. conclus. 36. n. 5. & seqq. Dn. Struv. Exerc. 16. tb. 30. seqq.*

TH. II. Accessorii instar usurae quantitati principaliter debita accedunt, *l. 32. ff. & l. fin. C. de usur.* Sunt autem vel punitoria, *l. 17. §. 3. l. 1. §. 1. ff. de usur.* vel compensatoria, *l. 4. C. de pos. vel lucratoria.* Quarum illa Jur. Civ. & Can. licita, *C. 16. X. de usur.* Hæ vero utroque prohibita sunt. Bachov. *ad Wesenb. de usur. n. 6. ad Treutl. vol. 2. D. 3. tb. 1.* Andr. River. *in Exod. XX. v. 15. p. 36.* ubi inter alia dicit: pro translatione domini moderatam exsolvi compensationem, Ne igitur nimia usura exigantur, leges certam & moderatam quantitatem permiserunt, *l. 33. ff. de usur. l. 26. C. eod.* Carpz. *part. 2. const. 30. def. 1. & 3.* Dn. Richter. *decis. 74. n. 5. in fin.* Videatur noviss. Reichs-Ab-schied zu Regenspurg de anno 1654. §. Unreichend die fünffte Zins. Excedunt itaque præscriptum usurarum modum, qui usuras usurarum petunt, vel usuras residuas sorti ejusdem debitoris adjiciunt, quod in specie anatoclinus vocari solet. Carpz. *in abs. debit. cap. 1. pos. 31. num.*

371. l. 28. C. de usuris. l. 20. ff. eod. l. ult. C. de usur. rei jud. l. 28. §. 1. de cond. indeb. Excedunt etiam de jure civili, qui ultérieures usuras exigunt, postquam sorti successive sunt adæquata. l. 26. §. 1. de condiç. indeb. l. 27. §. 1. C. de usur. l. 4. §. 1. de naut. fan. Nov. 121. c. 1. 2. Nov. 138. Hagen tr. de usur. c. 5. n. 115. Rittershuf. p. 3. Jur. Just. c. 9. n. 6. aliud tamen à Sereniff. Elect. Saxon. decis. noviss. 29. est constitutum; quod scilicet usuræ particulariter solutæ currant ultra alterum tantum. Dn. Struv. Jurispr. forens. l. 3. t. 20. §. 23. Cæterum impii faneratores & usurarii varie puniuntur, imo nonnullorum locorum consuetudine ejusmodi fænus immodicum exercentes sorte multantur. Recess. Imper. Anno 1530. 1548. 1577. tit. von Wucherlichen Contraçten. Ordin. Polit. de Anno 1577. tit. 17. it. Const. Torg. d. 18. Maji Anno 1583. tit. von Wucher / Wucherlichen Contraçten und Partiten.

TH. III. Peculiare est, quod pro pecunia trajectitia propter infinita pericula in maris navigatione obvenientia usuræ ultra communes exigi possint. l. 1. & 2. C. de fan. naut. Ne vero nimia sit inter usuras & periculum inæqualitas, centesimæ excedi non debent. Nov. no. l. 26. §. 1. C. de usur.

TH. IV. Inito commodati contractu rem commodatam commodatarius ad usum certum adhibere. l. 5. §. 8. l. 17. §. 3. ff. commodat. & actione commodati contra commodantem contraria experiri potest, si usus rei intempestive fuerit revocatus. l. 17. §. 3. eod. c. un. in fin. X. eod. nisi commodans re commodata ex supervenienti nova causa, quam tempore contractus non prævidit, indigeat ad proprios usus arg. l. 3. de locat. Ex quo apparet differentia inter commodatum & precarium, quod ad usum incertum

E

& in-

& indeterminatum conceditur, & inde etiam pro lubitu revocari potest. *l. 1. l. 2. §. 2. ff. de precar.* Quoniam verò commodatum ab initio magis voluntatis & officii, quam necessitatis est, secundum *l. 17. §. 3. commodat.* cum omni autem aequitate pugnat, officium suum cuiquam esse damnosum. *l. 7. ff. testament. quemadmod. aperiunt. l. 5. §. 13. ff. de bis, quæ ut indign. auf.* nimium sibi de facilitate amici promittunt, qui non exactissimam rei commodatæ curam habent, sed deterioratam restituunt. *l. si ut certo 5. §. nunc videndum. 2. ff. commod. l. in rebus 18. pr. cod. l. 3. §. 1. eod. res enim commodata non dicitur reddita, quæ deterior & corrupta redditur. l. sed mihi 3. §. si reddita. 1. ff. commod. l. 1. §. si rem depositi.* Carpz. p. 2. c. 26. d. 6. & 7. Et furti tenentur ex jure Cæsareo, qui re commodata aliter, quam conventum est, utuntur: Si v. gr. equus alicui commodatus fuerit, ut vaderet ad villam, & ille iret ad bellum. *§. placuit. 7. Inst. de Oblig. quæ ex del. nasc. l. si ut certo. 5. §. quin imo & qui. 8. ff. commod. l. qui furtum. 16. ff. de cond. furti.* Secus tamen de Jure Saxon. per text. expressi *l. 2. art. 29. Landrecht. & ibid. art. 60.* Moller. & Carpz. ad Const. Elect. 41. p. 4. Wefenb. in paratit. & Schneidew. Inst. de commod.

TH. V. Obligatur *Depositarius* ad depositæ rei custodiam, ejusque restitutionem, quandocunque libuerit deponenti. *l. 1. l. 24. ff. de pos. §. 3. Inst. quib. mod. re cont. oblig. Caroz. tract. de de pos. c. 2.* Singularis hic amicitia attenditur, & cum grave sit fidem fallere. *l. 1. §. 4. ff. de pos. ibique Gothofred.* dolus in hoc judicio est improbissimus, & qui dolose depositum intercipit, infamiæ macula notatur *§. ex quibus. 2. J. de pæn. temere litigant. l. 1. l. furti 6. §. mandati. 5. ff. de bis, qui not. inf. l. quod depositum 10. C. de positi.* bique D. Brunnemann, atque inde ex collegiis opificum
remo-

removetur. Richt *dec. 80, n. 35.* Matth. Steph. *de jurisd. lib. 2. p. 2. c. 8.* Carpz. *p. 4. consl. 45. d. 10. n. 2.* Cum vero hic contractus tradentis tantum gratia iniri soleat, ideo dolus tantum, sub quo etiam lata culpa comprehenditur, à depositario est præstandus. *l. 5. §. 2. ff. commod. l. 23. ff. de R. J. l. 32. ff. depos.* nec tenetur ea cura, qua diligentissimus quisque paterfamilias, rebus depositis invigilare, sufficit, si eam diligentiam iisdem adhibeat, quam suis adhibet. *d. l. 32.* sibi enim quisque imputare debet, quod non diligentiore amicum elegerit, cujus fidem sequeretur. *l. 72. l. 52. §. 2. pro socio. §. 1. Inst. de societ.* Nimis igitur religiose fidem datam servaret, qui res depositas suis præferret, quando utrasque salvas facere nequit *arg. l. 5. §. 4. commod. ibique.* Dn. Brunnemann. *n. 14.* Caroz. *dict. tract. p. 2. q. 2.* Dn. Struv. *Exerc. 21. th. 37.* Pufendorf. *de J. N. & G. l. 5. c. 4. §. 7.* Dn. Praes *in dissertat. d. Philantia cap. 4. th. 3.*

TH. VI. Traditur creditori pignus in securitatem crediti, ea lege ut extincto debito idem in specie restituatur. *l. 1. §. 4. de pact. §. 4. Inst. quib. mod. re cont. oblig. l. 1. ff. de pign. act.* Differt eo ab hypotheca, quod hypothecaria actione rem ipsam persequamur, prout jure quodam in ea creditori competente affecta est. Pignoratitia vero adversus debitorem experiamur ad omne illud, quod nobis ratione pignoris abest. Dn. Praes *in Colleg. suo privat. ad Inst. lib. 3. tit. 15. §. 4.* Reddenda est regulariter debito soluto res oppignorata cum commodis. *l. 6. §. ult. ff. de pign. act. l. 33. l. ult. de dist. pign. & fructus percepti in rationem exonerandi debiti computantur. l. 1. l. 2. 3. & f. C. de pignor. act.* nisi specialiter Jus antichreseos à debitore sit constitutum, ut creditori re oppignorata pro usura aris crediti, donec illud solvatur, uti liceat. *l. 11. §. 1. de pignor.*

Quod si vero fructus percepti legitimas usuras quotannis excedant, residuum forti est imputandum. *l. 8. in quib. caus. pign. l. 17. C. de usur.* etiam si proventus sint incerti, nimius tamen usurarum modus corrigitur. Bachov. *ad Treutler. disp. 1. tit. 6. lit. B. Carpz. p. 2. c. 30. d. 41. Richt. decis. 74. num. 4.*

TH. VII. Contrahitur verbis sola stipulatio. *§. f. Inst. de oblig. pr. Inst. de V. Obl. l. 1. §. 7. §. l. 52. §. 2. ff. de obl. & Act. & deducuntur quidem in stipulationem res & facta. §. 6. Inst. de V. Obl. exceptis iis rebus, quæ vel non sunt in rerum natura. §. 1. de inutil. stipul. l. 103. ff. de V. Obl. l. 1. §. 9. ff. de Obl. & A. l. 57. ff. de contrab. emt. vel quæ commercio hominum exemptæ sunt, d. l. 103. & §. 2. Inst. eod. l. 1. §. 5. ff. de O. & A. l. 83. §. 5. de V. Obl. & factis impossibilibus. l. 185. ff. de R. 7. inhonestis. l. 76. ff. de V. Obl. l. 123. eod. §. 23. Inst. de inutil. stipul. & alienis. §. 3. Inst. eod. Eodem modo etiam sponsones de rebus honestis & licitis validæ & concessæ sunt. l. 3. ff. de alen. l. si gratuitam 17. §. si quis sponsonis. ff. pref. verb. Schneidew. *ad Inst. l. 3. tit. 16. n. 15. Ruding. cent. 5. obs. 60.* Si tamen nimis arduæ sint, & grandes, arbitrium iudicis locum habere censet Wehner. *pract. ob. serv. verb. Wetten.* & Finckelth. *obs. 33. n. 13.* imo cum nimium sæpe mercatores fortunæ iudicio committant, Magistratus Amstelodamensis & alii actionem judicariam plane denegant. Keckermann. *curf. philosoph. disp. 28. qu. 48. in fin. Besold. thesaur. pract. voce Wetten.**

TH. IIX. Verbalem contractum excipit *literarum obligatio.* Qua debitor spe futuræ numerationis data creditori cautione seu chirographo fatetur, se certam pecuniæ summam accepisse, quam tamen non accepit, eamque se restitutum esse pollicetur. *§. un. vers. plane si quis Inst.*

Inst. de lit. obl. Schneidew. *ad h. t. Inst. n. 2.* Et quoniam saepe faeneratoribus, antequam pecuniam numerent, syngraphas exigere mos est; debitores vero promte confessionem exhibent, modo spes fit, aliquando pecuniam numeratum iri. Rittersh. *ad Inst. b. t. §. & solent.* Singulare privilegium circumventis istiusmodi debitoribus legislator concessit, ut exceptione non numerata pecunia se tueri possint. *t. t. C. de non numer. pecun.* onusque probandi, numeratam sc. esse pecuniam, in creditorem transferant. *l. si ex cautione 3. l. ad severatio 10. C. eod.* quæ exceptio, ut vocatur privilegiata per biennium continuum recte opponitur. *l. sancimus 5. C. in quib. caus. in integr. §. idem Juris 2. J. de except.* Caterum ex natura aliarum exceptionum, ut sc. excipiens onus probandi suscipiat, etiam post biennium admittendam esse æquius existimant Brunnem. *ad l. 14. §. 13. C. de non num. pecun.* Zanger. *de exception. p. 3. c. 14. num. 67. & 70.* Schulz. *in Synops. ad Inst. de lit. obl. lit. a.* Quam tamen æquitatem nimis extollunt Canonistæ, ut etiam ad mille usque annos durationem hujus beneficii extendant; quod tamen contra omnia præscriptionum jura fieri testatur Wefenbec. *in parat. de except. n. 12.* Dn. Præses Patronus & Præceptor meus ætatem venerandus *Jurisperdent. Elementar. disputat. ad tit. de lit. obl. lb. 14. ibique in not. lit. n.*

TH. IX. Sublata spe quæstus, inquit Seneca, languent mercatus. Quippe ad contractum emt. vend. emtor viliori pretio emendi, venditor cariori pretio distrahendi animis & votis accedunt *l. 8. C. de resc. vendit. & contrahentibus naturaliter se circumvenire licet. per l. 22. §. f. loc. l. 16. §. 4. de minor.* ubi tamen naturalem istam circumveniendi licentiam pro mutua quadam & tacita contra-

hentium ad invicem indulgentia, non pro malicia fraudulenta capiendam esse monet Carol. Molinæus *tractat. de commerc. n.* 172. Nimum vero evagatur illa indulgentia, si alteruter contrahentium enormiter, & ultra dimidium justii pretii læsus fuerit. Unde etiam per remedium *l. 2. C. de rescind. vendit.* res est restituenda, vel id, quod justo pretio deest, supplendum. Vult quidem Cujac. *l. 16. Observ. c. 18.* legem hanc secundam C. tantum subvenire læso venditori, qui minoris vendidit, ut quem plerumque necessitas rei familiaris compellat vendere pretio minore. Et verum quidem est, *d. l.* juxta literam solum agere de venditore læso, ita ut electionem det emtori, an reliquum supplere, vel rescissionem contractus malit, ex benigna tamen interpretatione remedium hoc etiam productum est ad emtorem. *arg. l. 1. C. de cupress. ex luco. lib. XI. l. 6. §. f. ff. de jure dot. l. 18. pr. ff. de adilit. edict.* quia utrobique eadem militat ratio. Sicut enim venditor ultra dimidium læsus dicitur, qui dimidiam veri pretii partem non accepit, ita & læso ex parte emtoris obtinet, ubi rem emit, cuius æstimatio dimidiam partem pretii numerati non attingit. Fachin. *l. 2. contr. c. 16.* Mynsing. *cent. 4. obs. 73.* Pinell. *ad d. l. 2. C. de rescind. vend. p. 1. c. 2. per tot.*

TH. X. *Locatione conductione* præstatur vel certus usus rei, vel certa opera personæ pro mercede determinata. *l. 14. l. 22. §. 1. & 2. ff. locat. pr. Inst. eod.* Missis personarum operis, & aliis, quæ locari solent, Nimum duntaxat circa locationem rusticorum & urbanorum prædiorum investigabimus. Et generaliter conductor ultra quam par est extendit usum concessum, qui non omnia secundum leges conductionis facit, per *l. si merces 25. §. conductor 3. ff. locat.* sed re conducta male utitur. *l. ade 3. C. locat.*

Mer-

Mercedem vero promissam Locator nimis rigide exigat, si colonus deductis opera & sumptibus, dimidiam partem mercedis ex fructibus habere nequeat. *arg. l. 2. C. de resc. vendit.* Menoch. *de arbitr. jud. quest. l. 2. cent. 1. cas. 76.* Franzk. *ad tit. locat. num. 206.* Quamvis enim sterilitas & alii casus, qui usum impediunt, damno sint conductoris. Hahn. *obs. ad hunc tit. n. 16. p. 658. & seq.* ex aequitate tamen & benignitate Juris civilis aliquid indultum est hac in parte conductori, *l. 15. §. 2. l. 25. §. 1. b. l. 8. C. eod. c.* propter sterilitatem 3. *X. locat.* Limitatur tamen hæc assertio, nisi præcedens aut subsequens fertilitas suppleat defectum. *text. in d. l. 15. §. 4. b. l. 17. §. 1. de ann. legat. Gail. 2. observ. 23. n. 2.* vel conductor pacto speciali casus fortuitos in se suscepit. *l. 9. §. 2. ff. b.* Nam qui omne periculum suscipit, intelligitur simul sterilitatem, tempestates, fluviorum inundationes, & alios casus insolitos suscepisse. *l. 15. §. 2. loc. 1. fistulas 78. §. ult. de contrab. emt. Pantschmann. l. 1. q. 6. Carpz. p. 2. c. 37. def. 17. Dn. Struv. exerc. 24. tb. 17.*

TH. XI. Nimis etiam durus esset, qui cum Baldo in *l. licet. n. 5. C. locat.* ob pestem supervenientem nullam inquilino remissionem concedere veller, cum pestis major sit casus fortuitus, quam sterilitas: Hæc enim fruges, illa homines consumit: & inquilinus ob metum contagii è domo conducta migrare & remissionem pensionis æquo jure petere potest, modo si possibile est, emigrationem denunciaret. *arg. l. item quaritur. 13. §. exercitum 7. ff. locat. Rip. de privil. contractuum caus. pest. n. 22.* & parum facit distinctio, an brevi vel longo tempore duraverit, cum minimo tempore nimiam stragem edere possit, & ea propter inter maximos & crudeles casus fortuitos numeretur. Mascard. *concl. 20. n. 5. lib. 1.* Paul. Zachias in *quest. medico legal. l. 2. r. 1. quest. 20. n. 1. & 2.*

TH. XII.

TH. XII. Affinis est locat. conduct. *emphytevsis*. §. 3. *Inst. de loc. cond.* Sicut enim in illam usus, ita in hanc utile dominium transit. Solvit conductor quocannis mercedem fructibus æqualem, emphytevta canonem, exiguum quidem, sed immutabilem, in domini directi recognitionem. Nimiam sibi proinde arrogat potestatem Emphytevta, cui prædium sub conditione meliorationis, non deteriorationis commissum est. *l. cum dubitabatur. 3. C. de jur. emphytevs.* ubi fructiferas, aut etiam alias arbores ex sylva immodice excindit. *l. si merces 25. §. 4. ff. locat. l. 28. §. 6. ff. de jurejur. l. 45. §. 13. ff. de jure fisci. l. 9. ff. arbor. furt. ca-sar.* vel etiam canonem debitum in emphytevsi civili triennio, in emphytevsi vero Ecclesie biennii spatio non solvit. *c. f. X. de loc. cond.* & nimia sua vel arrogancia vel sordida Jus emphytevticum amittit. *l. in emphytevticariis. 2. C. de Jur. emphytevti,* ibique Dn. Brunnem. *Nov. 7. c. emphytevsin. 3. §. scire autem. 2. Matth. Wefenbec. in parat. ff. si ag. vectig. i. c. emphytevt. per. num. 4. Matth. Berlich. p. 2. concl. 46. num. 1.* Pari ratione emphytevsi in commissum cadit, quando emphytevta plenum sibi dominium attribuit, atque emphytevsin sine consensu domini alienat. *l. 3. in fin. C. de jur. emphyt. Carpz. p. 2. c. 38. d. 13. n. 2. §. 3.*

TH. XIII. Iniri solet *societas* de fortunis & operis ad uberiorem quantum, & commodiorem usum communicandis. Illud vero non interest, an utrinque res, & pecunia & opera, an vero ab una parte opera, ab altera pecunia conferatur, *l. 29. l. 71. ff. pro soc. modo æqualitas* secundum res & operas in societatem collatas æstimetur. Dividitur autem inter socios lucrum & damnum juxta proportionem geometricam, prout aliquis in societatem plus minusve contulit vel operæ, vel pecuniæ. §. 1. 2. §. 3.

Inst.

Inst. de societ. l. si societatis. 4. C. pro socio. ibique Brunnem. Dn. Carpz. l. 5. Resp. 20. n. 5. & p. 2. c. 30. def. 38. n. 1. & seqq.
 Nimia vero inæqualitate societas non subsistit, si alter solum lucrum, alter nullum lucrum, sed solum damnum fecerit, quæ societas leonina vocatur. Cum iniquissimum sit societatis genus, damnum tantum, non etiam lucrum spectare. *l. 29. §. ult. ff. pro soc.* Sic nimium lucrum affectat, qui cum solam operam contulisset, & alter pecuniam, finito societatis contractu lucro non satiatas de ipsa sorte participare contendit. Convenientius enim est, eum qui solus pecuniam contulit, eam præcipuam habere, ac tantum quod superest lucri inter conferentem & operas præstantem dividi. Cum enim alias finita societate quisque collatam sortem repetat, & pro rata ejus lucri fiat particeps; multo magis hoc casu conferens pecuniam habebit præcipuam, quia pecuniæ usus cum operis alterius videtur fuisse communis. *arg. l. cum duobus 52. §. ultimum. 2. vers. in cœunda. Magn. Dn. Struv. exerc. 22. th. 33.*

TH. XIV. Tenetur Mandatarius ad mandatum fideliter ac diligenter secundum præscriptam formam adimplendum, qui enim certos limites mandato præscribit, omne illud, quod excedit, prohibere videtur. *l. 31. §. 4. ff. de neg. gest.* Nimium amici petitis defert, qui illicitum, & inhonestum negotium suscipit, cum turpis rei nullum sit mandatum. *§. 7. Inst. de mandat. l. 6. §. 3. l. 22. §. 6. ff. eod.*

CAPVT VII.

DE

Nimio circa Pœnas.

F

SVM.

S U M M A R I A.

- I. De nimio circa indicia. II. Circa pœnam conatus. III. Circa accusationem iteratam. IV. De nimia pœna fur-
 ti in casu necessitatis. V. Ratione ætatis. VI. Rati-
 one consanguinitatis. VII. Ratione fidei vicaria. IIX.
 De nimia injuriarumpœna. IX. De nimia pœna circa
 advochiriam. X. Circa homicidium. XI. Circa stu-
 prum violentum. XII. Circa ebrietatem. XIII. Cir-
 ca melancholicos & alios remissive. XIV. De nimio in
 executione sententiæ.

TH. I.

Perspiciendum est judicanti, ne quid durius aut remis-
 sius constituatur, quam causa deposcit. Nec enim aut
 severitatis aut clementiæ gloria affectanda, sed perpenso
 judicio, prout quæque res expostulat, statuendum est. *l.*
perspiciendum ff. de pœn. Cum igitur & civiles & crimina-
 les pœnæ infligendæ sint, cursorie tantum circa has Nimi-
 um, ejusque correctionem annotare conabimur. Re-
 quiritur vero, antequam inquiretur in reum, ut judicia
 adsint sufficientia & concludentia. *c. 3. X. de accusat. arg. l.*
1. §. 24. ff. ad Senatus C. Sillan. Probationes enim in cri-
 minalibus desiderantur luce clariores. *l. ult. C. de probat.*
Ord. Crimin. art. 20. Atque inde nimia atrocitate quæsi-
 tionibus subjiciuntur de fuga retracti, cum sæpe fugam ar-
 ripiant, qui falso criminis insimulantur. *Dn. D. Præses in*
dissertat. de fuga. §. 32. & veritatem fuga non inducit, sed
saltem remoram aliquam conjecturam. Ord. Crim. art. 27.
Tabor de indic. & tortur. in analys. ad tit. 25. Ord. crimin. §.
4. & 5. Nimis etiam infirmo nituntur talo, qui ex judicio
 ignis & aquæ indicium ad torturam sumunt. Quamquam
 enim exempla aliquot, quibus ignis judicium salutariter
 fuit

fuit admissum, referat Mariana *lib. Rer. Hispanic. 9. c. 18.*
 & exploratio illa sagarum per aquam frigidam in quibus-
 dam locis adhuc hodie observetur. Arum. *exerc. 20. q. 18.*
 fallax tamen est, superstitiosa, & vel arte eludi, vel Deus
 inde tentari potest. *c. Mennam 2. q. 5. & arg. c. Monomachi-*
am 2. q. 4. Damhaud. *prax. Crimin. c. 43.* Idem de cru-
 entatione cadaverum sentiendum, quæ cum ex causis na-
 turalibus oriri, vel etiam arte impediri possit, sine fragili-
 tate & periculo non admittitur. Et exempla, quibus ca-
 davera præsentem homicida sanguinem non emisissent,
 cruore contra maduerunt, præsentem familiarissimo, re-
 censeret Libavius *tract. de cruentatione cadaver.* vid. omni-
 no Dn. Præses *Dissert. de Jure Ferevri. 2. §. 6. & 7.*

TH. II. Quæquam Reipubl. interfit, ne delicta
 maneant impunita. *l. 51. ff. ad L. Aquil. animadversio tam-*
en ista non eò usque est extendenda, ut etiam conatus,
effectu non sumto, puniatur. l. 18. d. pœn. l. 19. ff. ad L. Corn.
de Fals. modo non sint talia delicta, quæ enormem publi-
 cæ tranquillitatis turbationem important, nam tunc eti-
 am affectum puniri Dd. statuunt. *Magnif. Dn. Struv. exerc.*
48. th. 5.

TH. III. Sic nimium puniatur, qui pro uno delicto
 in duobus foris convenitur. Bald. *in L. nullum C. de testib.*
 Nam de delicto ejusdem hominis sapius cognosci non
 potest *l. licet. §. fin. naut. caupon. stabular. l. si cui. §. inter. de*
accusationib. & pro eodem delicto plures pœnæ infligi non
possunt. l. senatus de accusat. l. sepulchri. de sepulchr. violat.

TH. IV. Furtum admittere jure naturali prohibi-
 tum esse monet *Imp. §. 1. Inst. de oblig. quæ ex del. nasc. l. 1.*
§. fin. ff. de furt. An vero pœna laquei juste coërceatur,
 varie disputant. Alii eam abolendam putant ut nimiam,

& delicto minus adaequatam Ant. Matth. *de crimin. l. 27. t. 1. cap. 52. n. 6.* Amef. *de casibus conscientia l. 5. c. 2.* alii eam satis probabiliter defendunt. Saltem unicum rationem adducam: posse sc. Principem poenam delicti, quod lege divina morali expresse prohibitum est, exasperare, & ad mortem usque extendere. B. Chemnit. *p. 2. Locor. Theolog. praec. 7.* Carpz. *prax. Crim. p. 2. q. 77.* Caterum pro varia circumstantiarum ratione poena omnino nimia & immoderata esse videtur. Sane si quis extrema necessitate adactus furtum committat, sine nota immodici rigoris suspendi non potest. Col. *lib. 2. de aliment. c. 7. n. 46.* Bocer. *de furt. c. 2.* cum eum, qui rebus alienis, nullo alio vitae subsidio restante, manus admoveret, plane ab omni poena immunem esse velint. Covarruv. *c. peccatum p. 2. §. 1.* Soto *de Justit. l. 5. q. 3. & 4.* Cessat hoc casu turpitudinis furti, qua naturae praecipua violantur. Quippe cum quisque vitam suam servare natura obstrictus sit, media vero ad servandum necessaria ab aliis denegentur, ipse sibi quocumque modo prospicere tenetur. Conf. Pufend. *de J. N. & G. l. 2. c. 6. §. 5. & 6.* Wilhelm. Grot. *de princip. Jur. Nat. c. 13. n. 10.* Carol. V. *Ord. Crimin. Art. 166. Die von essenden Dingen zu stehlen.* Quas res comestibiles etiam ad alias, quibus venditis victum parare possis, extendit Carpzov. *pr. Crim. p. 2. q. 83. n. 47.*

TH. V. Nimis rigorose poena laquei dicitur im-
 puberibus, & decrepitis, si furtum fecerint. Aetas enim
 infantilis, cum doli capax non sit, & intellectum habeat
 nullum. §. *Pupillus 9. vers. nam infans. Inst. de inutil. stipul.*
 furtum quoque, ad cuius formam non sola fraudulenta
 contrectatio sufficit, sed furandi insimul affectus requiri-
 tur, committere non possunt. §. *1. & 8. Inst. de oblig. qu. ex
 del.*

del. nasc. adhuc infans pro nullo delicto criminaliter puni-
tur. *per text. l. infans 12. ff. ad L. Cornel. de sicar.* Clarus *l. 5.*
sentent. §. f. q. 60. n. 2. Senes decrepitos a suspendii poena
commiseratio excipit, quod perfectum consilium, quo
praditi fuerant, ob senectutem iterum amiserunt. *l. 108. ff.*
de R. J. l. si ad adulterium 38. §. incestum 7. ff. ad L. Jul. de ad-
ult. Petr. Theodor. *in Judic. Crimin. pract. c. 10. apb. 4. lit.*
E. n. 16. id quod etiam praedictio confirmat Carpz. p. 4.
c. 36. d. 2.

TH. VI. Nimia severitate patibulo affiguntur illi,
qui furtum inter conjuges, cognatos aut affines proximos
committunt. *arg. l. fin. ff. de receptator. Nov. 118. c. 2. §. 3.*
Schneidew. *in §. hi qui in parentum 12. n. 2. Inst. de obl. q. ex*
del. nasc. l. si quis uxori ff. de furt. l. uxor. ff. de crim. expilat.
heredit. Cum enim in honorem parentum & liberorum
actiones temperari soleant. *l. ult. C. & advers. quos in in-*
tegr. restit. & honor sanguinis ac matrimonii furti actio-
nem, ut famosam non admittat, sed mitiorem preferri-
bat. *l. fin. §. fin. C. de furt. ibique Dn. Brunemann. l. 2. ff.*
Ret. amotar. ; poena etiam furti ordinaria his casibus ut
nimia, merito mitigatur. Schneidew. & Dd. *ad d. §. 12. J.*
de obl. q. ex del. nasc. Constit. August. Elector. peculiar. tit.
vom Diebstahl der Verwandten. Carpzov. *p. 4. const.*
38. def. 4. §. 5. & prax. crimin. q. 82. n. 44. seqq.

TH. VII. Depositarium res custodiae suae traditas
contra fidem datam intervertentem : creditorem item
& mandatarium defraudantes dominum rei suae dominio,
in furti crimen incidere expediti juris est. *l. qui furtum 16. ff.*
de condit. furt. l. siut §. §. quin imo. 8. ff. commod. l. si pignore
54. ff. de furt. Nimis tamen dura eorum est sententia, qui
dictos homines ordinaria furti poena plectendos esse asse-

runt. Berl. p. 5. *concl. 57. n. 21.* Quotiescunque enim dolus vel delictum actione ex contractu vel quasi purgari potest, actio de dolo, criminalisque acutus cessat. Tusch. *tom. 2. pract. conclus. lit. D. conclus. 178. num. 1. seq.* Carpzov. *prax. Crimin. p. 2. q. 85. num. 65.*

TH. IIX. Circa injurias verbales Magistratui vel Principi factas volunt nonnulli poenam mortis irrogari posse. Schneidew. *in §. 10. n. 8. Inst. de injur.* Matth. Berl. p. 5. *concl. 61.* & Jcti Francofurtenses dictarunt poenam mortis C. B. qui verba injuriosa in sereniss. quandam personam effutierat, vid. Carpz. *pr. crimin. p. 2. q. 94. n. 47.* quam tamen sententiam uti nimis duram in foro Saxónico improbari, ita ut ne quidem ob atrocissimas injurias ultimum supplicium cuiquam irrogetur, testis est Dan. Moll. *const. Elect. 42. n. 1.*

TH. IX. Juste quidem illi, qui ex desperatione, sceleris conscientia, vel imminentis poenæ metu sibi ipsis manus inferunt violentas, honesta sepultura privantur c. 20. q. 5. nec lugeri solent. l. 11. §. 3. ff. de his q. notant. infam. imo, quandoque si crimen fuerit liquidum, executio in cadaver mortuum fieri potest, & ea poena in terrorem aliorum afficitur, quam vivus sustinisset facinorosus. Heig. p. 2. q. 37. Menoch. *de arbitrar. Jud. quest. c. 285.* ideo in plerisque locis non nisi per carnifices sub limine domus arthochires isti extrahuntur, vel de fenestra precipitantur. Damhaud. *prax. crim. c. 90. n. 8. & 9.* Verum nimis inclementer agitur cum illis, quibus, quando ex furore, melancholia, aut alia animi impotentia in se ipsos seviunt, sepultura honesta denegatur, cum potius commiseratione digni & sepeliendi sint. c. si quis insaniens q. 5. l. 3. & 3. ff. de bonis eor. q. ante sent. l. in fraudem. §. ejus poena. ff. de

ff. de jure fisci. Damhau. l. cit. Carpz. pr. crim. p. 1. q. 2. n. 30. & 31. Idem lib. 2. *Jurispr. Consistorial.* Def. 377. seq.

Th. X. Lex Cornelia de sicariis homicidas ultore ferro persequitur, §. 5. *Inst. de publ. Judic.* ita ut morte puniantur nullo habito respectu personæ occidentis & occisæ, per generalitatem text. in l. 3. C. de *Episcop. aud.* l. 1. §. *præterea ff. ad L. Corn. de scar. Genes. IX. Levit. XXIV. Ord. Crim. Carol. V. art. 137.* attamen nimis severe generalitati huic insistent, qui homicidas in universum omnes nulla admittit circumstantiarum ratione expectare volunt, quod ipsi fecerunt. *l. nemo deinceps C. de Episcop. audient.* Mitius enim puniendi sunt, qui dolore vel ita impellente delinquant. *l. aut facta §. causa ff. de pœn. l. si non convicti. ibique not. Gothofred. C. de injur. l. 2. C. de abolit.* Quod enim inconsulto calore sit, calumnia caret, nec videtur dolose & ex animo factum, quod per iram delinquitur. *c. si quem pœnituerit. §. notandum 2. q. 3. & justus dolor propter delictum commissum pœnæ mitigationem meretur. text. express. in l. si adulterium 38. §. Imp. Marcus 8. ad L. Jul. de adult. gl. in l. D. Adrian. 5. ff. ad L. Pompej. de Parricid. l. Gracchus 4. ff. C. ad L. Jul. de adult. ubi Imperator vocat insultum ejusmodi dolorem, sed tamen justum. Richt. p. 5. conf. 20. n. 70.*

Th. XI. Stuprator mulieris honestæ gladio punitur. *l. 1. §. 2. ff. de extraord. crimin. l. 3. §. 4. ff. ad L. Jul. de Vi publ.* Nimium vero extenditur hæc pœna usque ad meretrices. Eas enim licet aliquis per vim cognoscat, capitis supplicium per leges civiles non luit. per *l. verum 39. §. an tamen ff. de furt. l. que adulterium 29. sub fin. C. ad L. Jul. de adult. ibi: meretrices vitæ vilitas legum observatione dignas non credidit.* Berl. p. 5. concl. 4. n. 55. ibique allegat. Secus

est

est de jure Saxonico siquidem eo clarissimis verbis sancitum, ut quisquis meretricem per vim cognoverit, capitis poena plectatur. *Landr. lib. 3. art. 46. Consult. consl. Saxon. tom. 2. p. 4. quest. 6. sub fin.*

TH. XII. Ebrietas in delictis non excusat à toto, excusat tamen à tanto, inquit Damhaud. *in prax. crimin. c. 86. num. 17.* & nimis graviter ebrii puniuntur, quibus pro delicti qualitate ordinaria poena irrogatur. *l. omne delictum. §. per vinum ff. de re milit. c. sane dicimus 15. q. 1.* Peccant enim ex infirmitate potius, quam studio & industria. *Alex. in 2. parte sue summe qu. 182. memb. 2. 3. 4.* Suntque Dd. plerique in ea opinione, ut judicent, ebrios non tam graviter peccare, quam si citra ebrietatem deliquissent. *Durandus lib. sentent. 2. dist. 22. Richard. l. 4. distinet. arg. 3. qu. 6.*

TH. XIII. Nimia exaggeratione insignuntur poenæ melancholicis, furiosis, amantibus, sexui muliebri, rusticis & inertibus, vel qui mandatu alterius delicta committunt, quæ tamen prolixiores allegare & tempore & charta excludor, & Lectum remitto ad Menoch. *conf. 83. n. 23. B. Richt. p. 5. conf. 9. per tot. Andr. Tiraquell. tom. 7. de pœnis temperand. aut remitt. caus. 4. q. 11. 27. seqq.*

TH. XIV. Volunt nonnulli dimittendos esse facinorosos, si teste rupta ex patibulo decident, vel gladius carnificis ad collum diffiliat; tum quod semper in dubio ea sit accipienda sententia, qua lenior mitior ac excusabilior est. *l. semper in obscuris. 9. de R. 7.* tum etiam, quod ingens existiusmodi decidentia, gladiive fractura praesumptio oriatur, reum supplicio innocenter fuisse adjudicatum; adeoque tempus omnino concedendum, quo innocentiam suam ulterius deducere possit. *Arumæus Exercit.*

ercii. ad Inst. 17. th. 8. At vero quoniam miraculo non est imputandum, quod causam habet naturalem, & sententia semel lata sortiri debet effectum. *arg. l. 10. ff. de pœn. ea vero reum non modo ad patibulum adducere, vel gladio cervicem submittere, sed vitam cum morte commutare jubet. Ord. Crim. Car. V. art. 162.* hinc pœnam ejusmodi iteratam nimiam non esse statuimus cum Magnif. Du. D. Struv. *exerc. Syntagm. Jur. civil. 48. th. 25. n. 13. in f. Jurispr. Rom. Germ. forens. Ejusdem lib. 3. tit. 28. §. 2. Jul. Clar. l. 5. sentent. §. fin. quest. 98. n. 9. Treutl. vol. 2. disput. 30. lit. g.*

CAPVT IIX. ET VLTIMVM.

DE

Nimio circa Jus varium.

SUMMARI A.

- I. De nimio lusu. II. De nimia injuriarum exaggeratione. III. De nimis studiorum suntibus. IV. De nimis donationibus. V. De nimis blanditiis. VI. De nimio circa exheredationem. VII. De nimia credulitate. IIX. De nimio circa defensionem corporis, rerum & pudicitia. IX. De nimio circa Aggrationem.

TH. I.

LUfu & joco, secundum Cic. *1. offic.* uti quidem licet, sed sicut somno & quietibus ceteris, tunc, cum gravibus feriisque rebus satisfecerimus. Excludo enim lapsi animi heroes excitantur, dum semper superioris esse contendunt, & tali exercitio natura hominum cognoscitur, quia animi motum vultus detegit. *l. 19. ff. de offic. Præs.* Et lulum neque jure divino neque naturali illicitum esse

late probant Covarruv. tom. 1. p. 2. *relect. in c. peccatum §. 4. n. 1. seqq. de Reg. J. in 6to.* Joh. Thier. *tract. de usu aleæ.* Danhauwer. *Colleg. Decalog. ad precept. 7. disp. 18. q. 13. pag. 191.* Pufendorf. *de J. N. & G. l. 5. c. 9. §. 5.* Dn. Struv. *exerc. 15. lib. 56.* neque jure civili prohibitum est, si quis lusui fortunæ se committat non animo lucrificiendi, aut decipiendi alium, sed vel fallendi temporis, vel explorandæ fortunæ ergo, vel alia quacunque de causa, licet hic ex accidenti quoque lucrum inde percipiat. Aliter se res habet, si quis nimium lusui se immergat, dies noctesque nectendo, ut alios per fraudem alliciat, & emungat, sic ut tandem lusus in lacrimas abeat, prout loquitur Imp. *l. 3. C. de aleat.* Hunc enim honestatis terminos excedere dubium non est; non modo quod contra leges venire, sed etiam, quod otio, fraudibus, aliisque in se turpibus operam dare non erubescit. B. Danhaw. *d. D. 18. q. 13. pag. 192. n. 3.* Brunnem. *ad l. 1. ff. de aleat. §. l. 3. C. eod.* Hinc etiam secundum leges juris Cæsarei omnis pro debito in lusu contracto denegetur actio, & perdens pecuniam à lucrante, tanquam indebitum solutum, repetere possit. *l. 1. C. de aleat.* Rauchb. *p. 2. q. 25.* Matth. Wesenb. *in parat. ff. de aleat. n. 4.* ibique Dn. Hahn. *in not. p. 463. p. 1.* Brunnem. *ad d. l. 3. C. de aleat.* Et licet id quidem hodie non amplius obtineat, nihilominus tamen illi, qui totos se ludis manciparunt, & immodice, non relaxandi animo, sed lucri causa ludunt, arbitrarie puniuntur. Carpzov. *pract. Crim. p. 3. q. 134. §. lib. 6. Resp. 96. num. 8. 9. §. 18.* König. *in process. c. 57.* Jure Saxonico admittuntur quidem ludæ, qui virtutis & recreationis causâ fiunt, nimia vero lucri faciendi cupido arctissime circumscribitur Ordin. Elect. Saxon. de A. 1612. tit. Vom Spiel: *Dasß keiner von A-*
del

del auf einmahl über einen Reichs-Thaler, ein vor-
nehmer Mann, so bürgerlichen Standes / über 12.
Gr. / ein Handwercks-Mann über 4. Gr., ein Bauer
aber über 1. Gr. verspiele.

TH. II. Etsi verum est, famam acquiri & defendi
virtute & vitæ integritate, & non nisi propriis vitiis & acti-
bus inhonestis amitti. *l. 13. §. 3. ff. de re milit. l. 1. vers. qui pro
socio l. 6. §. 2. ff. de his q. not. inf. l. 5. §. 1. ff. de extraord. cognis.
nec per verba injuriosa auferri possit. l. 3. C. de injur. l. un.
C. de fam. libell. attamen, quia non parum vulgi opinione,
ac testimonio juvatur, & bonæ nostræ existimationi per
injurias illatas facile aliquid detrahitur, secundum vulga-
tum illud: calumniare audacter, semper aliquid hæret.
Ideo moribus introducta est actio ad palinodiam s. recan-
tationem. *Myns. cent. 2. Obs. 98. incip. formula agendi. n. 1. &
n. 10. Wurmbf. l. 1. Obs. tit. 47. observ. 8. incip. quod libellus.
n. 1. & seq. qua injurians palam se mendacium dixisse, &
in os suum mentitum esse asserit, veniamque ab injuriato
petit. Ord. Cam. Imperial. p. 2. tit. 28. §. Und sonderlich se-
zen. Berlich. p. 5. concl. 62. n. 1. seq.* Nimum vero famæ
suz intentus, & parum de conscientia sollicitus esse vide-
tur, qui verba aliquot injuriosa nimum v. g. mille thale-
ros, & amplius æstimat & quod majus est, juramentum
addit, se libentius mille thaleros amittere velle, quam has
pati injurias. Istiusmodi certe procul expellunt affectum
illum, quem toties inculcat Salvator. *Matth. XIX. v. 15. 22.
& 35.* Nimis etiam circa ulciscendas injurias excurrunt,
qui ægroti per ministrum Ecclesiæ publice deprecantur
delicta in alios à se admissa, subjecta contestatione, se pa-
ri modo omnia adversariis suis remisisse, ac oblivioni man-
dasse: valetudine autem restituta nihilominus injuria-*

rum actionem salvam esse contendunt. Actio enim injuriarum, cum saltem detur ad vindictam. *l. 15. §. 46. ff. de injur. l. 2. §. 4. ff. de collat. bonor.* agrorus vero tali publica deprecatione vindictam remittat, consequens est, quod etiam injuriarum actionem simul remiserit. *Dn. Stuyk. dissert. de jure sens. c. 4. n. 16. seqq. Pie & religiose Bachov. ad §. fin. num. 2. Inst. de injur.* statuit: *Vix ullam satis justam causam esse Christiano agendi injuriarum, nisi ubi hoc fieri publice quodammodo interest: vel in exemplum, ut alii ab hujusmodi petulantia absterreantur, vel ob personam ejus, qui injuria affectus, veluti, si publicum officium administret, quem ab injuriis immunem ac integra fama haberi publice interest, ne contentus exponatur, & administrando muneri suo minus idoneus reddatur, vel ex consuetudine indignus officiis publicis habeatur.* Nimis rigida etiam videtur illorum sententia, quos allegat *Richt. p. m. p. 5. conf. 20. n. 11.* qui pro honoris defensione interficere alium licere statuunt. Quod enim vulgo in hac materia supponitur, vitam & famam pari passu ambulare. *l. 8. §. 2. ff. quod met. c. l. 9. pr. ff. de manumiss. vind.* male hic applicatur. Ambulant quidem vita & fama pari passu quoad necessitatem, non quoad modum defendendi. *Molina de J. & J. tom. 5. disp. 37. num. 2.* Vitæ enim defensio cum interneccione alterius conjuncta non ante est suscipienda, quam si damnum immineat irreparabile, & judicis officium implorandi potestas non concedatur. Fama vero huic periculo subjecta non est, cum privatus pro arbitrio suo famam non lædere, multo minus eandem tollere possit. *l. un. in f. de fam. libell. & cuius honor læsus fuit, per remedia juris restitutionem ejus obtinere potest. l. 13. §. 3. ff. de usufr.* *Dn. Struv. Dissert. de vind. priv. c. 10. apborism. 10. n. 11.*

Th. III,

Th. III. Maximus in jure studiorum favor est, ita ut etiam pia causa comparentur Finckelth. *observ. ii. n. 18. seqq.* Matth. Wesenbec. 2. *Cons. 80. n. 7.* Hinc etiam filii studiorum sumtus parentibus defunctis conferre non tenentur l. 50. ff. *fam. hercisc.* Dn. Hahn. *ad paratit. Wesenb. ff. fam. hercisc. n. 5.* neque in legitimam imputantur. H. Pistor. p. 1. q. 19. n. 3. Philipp. *in us. pract. ad Inst. l. 2. eclog. 72.* nisi pater eos credendi animo fecerit, & vel testamento vel alias expressa voluntate collatos aliquando velit d. l. 5. ff. *fam. herc. l. 17. C. de collat. l. 11. C. de neg. gest. l. 34. ff. eod. ff. eod.* qui tamen credendi animus non praesumitur, etiamsi pater in calendario vel alio peculiari libello annotaverit. Brunnem. *de collat. c. 4. n. 86.* Dn. Hahn. *in not. ad Wesenbec. tit. de collat. num. 3.* sed à cohæredibus collationem urgentibus est probandus. *arg. l. 16. C. de probat.* Nimis tamen largi sumtus si facti fuerint, & patrimonium ita exhaustum, ut cæteri filii ex residua patris substantia debitum bonorum subsidium habere non possint, collatio locum omnino habere solet. Col. p. 1. *dec. 62.* Berl. p. 2. *decis. 249. num. 5.* B. Richt. *ad arbitent. habita priv. 6. num. 9.*

Th. IV. Donandi facultas omnibus competit quibus libera rerum suarum administratio est concessa. *arg. l. 7. ff. de donat. l. 12. C. eod. l. 21. C. mandat.* Nimia vero donatio in fraudem creditorum facta non subsistit. l. 17. §. 1. *que in fraud. credit.* nimia etiam censetur esse donatio, quæ legitimam illis, quibus debetur, non relinquit, & mortuo donatore revocari potest. l. 1. 2. & 7. *C. de inoff. donat.* Hinc etiam ut nimis effusæ donationes refrænentur, & fraudibus occurratur, donationes ultra 500. solidos factæ absque insinuatione judiciali non valent. l. ult. §. pen. *C. de donat.* A. Perez. *in Cod. de donat. num. 29.* Dn. Richt. *decis. 22. num. 57. & decis. 33. n. 3.* Carpz. l. 5. *Resp. 56. num. 1. seqq.* Schneidev. *ad Inst. l. 2. t. 7. §. 2.*

Th. V. Verborum lenocinia de jure non improbantur, modo fiant sine fraude & mendacio. *arg. l. ult. C. si quis aliq. test. prob.* & blanditiis in sermone uti criminofum non est, cum non raro iis consequamur, quod alias impetratu esset difficilissimum.

limum. Nimis tamen immoderatas & importunas, quæ etiam metum incutere dicuntur, adhibere non licet. *l. 3. §. 5. vers. sed quid si volentem ff. de hom. liber. exhibend. Sanchez. de matrim. l. 4. Disp. 7. in fin.* sic Parentibus permissum est filium vel filiam ad sponsalia blanditiis persuadere. *c. 17. X. ad sponsal. si vero blanditiæ & persuasiones sint nimie, cum instigatione quadam indefessa & continua conjunctæ, æque inutilem reddunt liberorum consensum, ac metus l. 1. ibique Baldus C. de petit. honor. sublat.* Ita testamentum, quod frasionibus, blanditiis vel etiam lacrimis, Farinac. *de fals. & simul. q. 161. n. 87.* elicium est, valet. *l. ult. C. si quis aliq. test. prohib. ibique Dn. Brunnem. n. 3.* quod si blanditiæ illæ fuerint immodicæ, & adeo molestæ, ut quasi vim facere videantur, testamentifactionem annullant. *Pruckm. vol. 1. conf. 12. num. 27. Molina T. 2. Disp. 135. n. 6.* nimia enim importunitas coactione & compulsione fortior est. *l. 1. §. persuadere. ff. de servo corrupti. persuadere est plus, quam compelli, & cogi sibi parere.*

TH. VI. Libera erat L. XII. Tab. undiquaque testandi potestas patribusfamil. concessa. *l. 120. de V. S.* quæ vero nimis laxa testandi potestas per Imperat. Justinian. *Nov. 115.* est coarctata, ita ut liberis & Parentibus si indigni fuerint exheredati vel præteriti, ne legitima quidem relicta inofficiosi testamenti accusatio competat. Illis quidem, quia lege quadam tacita ad successionem debitam vocantur, propter quod ne iudicio quidem Parentis, nisi meritis de causis summoveri ab ea successione possunt. *l. 7. d. bon. damnator. l. 15. pr. ff. de inoff. testam.* his vero, quia miserationis ratione ad bona liberorum admittuntur. *l. 7. §. ff. unde liber.* nec filii gratam hæreditatem, sed triste lucrum sibi lugent acquisitum, *l. f. C. commun. de success.* Fratres & sorores quod attinet, pro lubitu præteriti, & extraneis, modo non sint turpes personæ bona relinqui possunt. *l. fratres 27. C. de inoffic. testam.* Anton. Gomez. *tom. 1. c. 11. num. 13.* si tamen nimia necessitate prematur frater, relinquere ei aliquid ex præcepto charitatis obligamur, cum Ordo hujus id exigat, ut agentes maxime propinquos juvenus,

mus. Rodriquez. *cas. consi. c. 16.* Magnif. Dn. Struv. *ex erd*
10. th. 9.

Th. VII. Nervi sunt atque artus sapientiae, non teme-
 re credere. Ovid. *l. 3. de Arte amandi.*

Nec cito credideris : Nam quantum credere ledat,
Exemplum nobis non leve Mopsus erit.

Et qui nimis leviter alteri credit, facillime decipitur. Non
 tamen ille intelligitur nimium credulus, qui credit homini-
 bus probis & fide dignis. *gloss. in l. Titio fundus. in verb. actiones*
ante fin. ff. de condit. & demonst. neque credulitas, etiamsi nimia
fuerit, in dolum imputatur. Tiraquell. tom. 7. de pen. temper.
aut remittend. caus. 43. n. 5.

Th. IIX. Injuste invadentem, & adversus vitam no-
 stram ultima molientem occidere licet. *l. ut vim 3. ff. de J. & J.*
l. sed & si 5. ad L. Aquil. l. 1. §. qui cum aliter ff. eod. Quod tamen
 sobrie est intelligendum, ita ut aggressio fuerit injusta, & pe-
 riculum mortis aliter, quam adversarii occisione evitari non
 potuerit. *l. 45. ad L. Aquil. l. 2. 3. C. ad L. Cornel. de sicar. Carpz.*
p. 1. q. 33. quando enim moderamen inculpatæ tutelæ excedi-
 tur, extraordinaria pœna locum habet. Dn. Struv. *Jurisp. Rom.*
Germ. For. l. 3. t. 28. §. 33. Colligere hinc est, cum cautela
 adeo restricta circa corporis defensionem opus sit, modum
 excedere eos, qui patrimonii invasores occidendos esse sta-
 tuunt. *l. si ex plagis 52. §. tabernarius l. sub fin. ff. ad L. Aquil. Ob-*
recht. tract. de defens. c. 8. n. 12. seqq. Quamvis enim bonis ad
 vitæ sustentationem indigeamus, nulla tamen inter vitam al-
 terius, & bona nostra proportio intercedit. Molina *de J. & J.*
tom. 4. disp. 16. num. 1. & vita hominis rebus quibusvis pretio-
 sior est. *l. 21. C. de SS. Eccles.* Aliud dicendum de iis, quibus
 pudicitiae prostituendæ periculum imminet, cum enim puel-
 lis honestis stupri metus semper major esse soleat, quam mor-
 tis. *l. isti quidem 8. §. quod si ded. 2. ff. q. m. c.* Nimiam defensi-
 onis noram incurrisse non videntur, qui pudicitiae aggressio-
 res occidunt, *l. 1. §. item Divus. 4. ff. ad L. Corn. d. Sicar. Ordin.*
Crimin. Carol. V. art. 142. post principium vers. Als geschehen möcht.

fozi

so einer einen &c. Imo fieri potest, ut per naturæ corruptionem ubi occisionem negligit, in stuprum consentiat & delicti rea fiat. Molin. de Just. & Jur. Tom. 4. Disp. 17. num. 10. Nemo vero alterius vitæ in delicto constituti parcere tenetur, si ipse simul delictum incurrat, Grot. d. Jur. B. & P. l. 2. cap. 1. n. 7. Less. de Jure belli privil. l. 2. c. 9. §. 2. Balduin. de casib. Conscient. l. 4. cap. 1. cas. 15. Dn. Struv. dissert. d. vindict. privat. cap. 5. apb. 1. num. 3.

TH. IX. Clementiæ magis quam Severitati studentum esse svadet l. un. §. f. ibique Dd. C. de caduc. tollend. At vero, qui in gubernatione prudentem se gerere optat, necesse habet, ut neutri nimiam tribuat, sed utrasque dextre & prudenter miscere noverit, docente Saavedra Symb. Polit. 22. Non minus noxia est populo Clementia nimia, quam Crudelitas, & gravius interdum impunitate & indulgentia peccatur, quam ipso delicto. Nimiam etiam audaciam sumit malitia, cum veniam sibi pollicetur. Æque cruentum fuit Regis Henrici IV. imperium ob nimiam ejus Clementiam, quam illud Regis Petri, Cognomento crudelis, ob ejusdem immanitatem. Multa igitur circumspeditione opus est Principi, qui jus aggratiandi habet, & gratiam delinquentibus concedere potest, ne nimia facilitate pœnas remittat. Carpz. lib. 3. Responsor. 150. n. 44. Crimina enim, quibus pœna capitalis ipso jure divino non Judæis solum sed toti generi humano est dictata, non recte à Principe remittuntur, nisi plane singulares circumstantiæ concurrant. Dan. Glasen, Tract. d. Jur. aggrat. Dn. Struv. Exerc. 49. tb. 90.

Ne nimia prolixitate peccem, dissertationem hanc academicam claudio, & vehementissime rogo L. B. quandoquidem multa, quæ minus accurate, plura quæ dici debebant, ommissa per temporis & chartularum angustiam invenies, ut æqui bonique consulas & corrigas.

SOLI DEO GLORIA.






(X2256754)

DM







751/5.

DISPUTATIO IVRIDICO-PRACTICA,
DE
NIMIO,

19
1682/14^b

Von dem
Was wider die Rechte, in allerley Fällen / zuviel geschieht / und wie sothane Ubertretungen zu bestraffen.

QVAM
PRAESIDE
DN. PETRO MÜLLERO,
ICTO,

CONSILIARIO SAXONICO, PROFESSORE
PANDECTARVM PVBLICO, CVRIAE PROVINCIALIS, SCABINATVS AG FACVL-
TATIS IVRIDICAE AS-
SESSORE,

PVBLICAE VENTILATIONI
AD D. IV. OCTOBR. CIO IO CLXXXII. EXPONIT

AVTOR
GODOFREDVS WITTICHIVS,
LYGIO-SILESIVS.



IENAE,
REC. LITTERIS IO. BERNH. HELLERI,
CIO IO CC XXXVIII.